



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Par Sanctorvm Svibertvs & Plectrvdis**

**Gelenius, Aegidius**

**Coloniae, 1640**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9556**

NII  
erit  
us  
is

104



Kl III. 23.

4t Th. 2304.







ERZBISCHÖFL  
AKADEMISCHE  
BIBLIOTHEK  
LEOSTR. 21  
PADERBORN



*[Faint, illegible handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.]*



Exlegato Comi Principis Ferdinandi, Epi Paderb:  
et Monaster: Anno 1683



PAR SANCTORVM  
SVVIBERTVS

&

PLECTRVDIS.

Post

Millenarium ferè Annum

Illustratum

meditatione Historicâ

ÆGIDII GELENII LICENTIATI

CANONICI S. ANDREÆ COLONIENSIS.



COLONIÆ EXCVDEBAT VALENTINVS CLEMENS,  
ANNO D. MDC XL.



# CENSURA

Annales S. Plectrudis & defensionem Historiæ  
S. Svibertii Episcopi, quia fidei Orthodoxæ &  
bonis moribus nihil contrarium continent, per-  
mittimus imprimi. Signatum Colonia 1640. pri-  
die Epiphaniæ Domini.

HENRICVS FRANCKEN SIERSTORPHIVS  
SS. Theol. D. Gymnasij Laurentiani Re-  
gens, librorum Censor.

---

## LECTORI

SANCTÆ, APOSTOLICÆ, CATHOLICÆ, ROMANÆ, EC-  
clesiæ Iudicio singula & omnia mea Scripta subiecta sunt. Ac Tuo  
quoque, Erudite Lector, examini. Lege, admone, iuva, adde, deme,  
corrigere. Si quæ vlli paritura præiudicium, reuocato. Ego vtilitati tuæ  
studere non desistam. Quare hisce eorumque veritate  
perfructuere & Vale, &c.



REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO VIRO  
Domino

FABIO CHISIO, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPO  
Neritonensi, Sanctissimi Patris ac Domini N. VRBANI VIII. Præ-  
lato Domestico & Assistenti, Illiusque & prædictæ S. Sedis  
ad tractum Rheni, & partes Germaniæ cum potestate  
Legati de latere Nuncio Apostolico, Domino  
suo Clementissimo &c.

FAVSTVM ADVENTVM ET FÆLICIA ANNI AVSPICIA.



Ratulari decet, me quidem Inferiori nostræ Germania, maxi-  
mè Colonienfi Archidiœcesi, Illas vero Tuae Celsitudini, Reve-  
rendissime & Illustrissime Domine, de fœlici in has partes ad-  
uentu, siquidem meam salutem in Earum salute scio conti-  
neri, Illis vero Sanctissimi D. N. Urbani cura Paterna ac Pa-  
storali sollicitudo peculiaris esse debet quam gratissima. Qua  
vtraque in Tuo aduentu eximie commendantur.

Advenit enim Celsitudo Tua commendata gestarum rerum ac Legationum obita-  
rum gloriâ, generis splendore, & illustri claritate, & ex utrisque natâ estimatione  
& famâ. Siquidem post Doctoralem in Philosophiâ, utroque Iure, & Theologiâ lau-  
ream, & professionem in Collegio Vniuersalis studiÿ Senensis, in Diœcesi Ferrariensi  
Vice-Legationis Apostolicæ, & commissione armorum status Ecclesiæ, jurisdiction-  
umq; & Consinium cum Veneto Dominio, ac deinceps in Melitenfi Insulâ amplio-  
ribus officijs perfunctâ, venit à S. Sede directâ, grauissimis & maximis instructa mo-  
mentis, Experienciâ & Claritate. Et quidem Illustre Genus Celsitudinis Tuae nosse  
possunt, quibus collibuit vel obiter Senensium in Italiâ Tuâ res inspicere, ij enim à qua-  
dringentis retro annis CHISIORVM nomen & potentiâ in monumentis Senensibus  
legunt, Maioresque Tuos Maciaretto, ac postea Portui Herculis, alijsque cum in Di-  
rectione Pontificiâ, tum Neapolitano in Regno Oppidis amplissimè dominatos fuisse.  
Anselmum quoque de Maciaretto CHISIVM ante quatuor secula Equitè Friderico  
Cæsari militasse, alios, alijs locis, ac temporibus præclarè, & Gente suâ digna gessisse, &  
quibus continuâ quâdam virtutis & gloria veluti per manus traditione manet hoc  
Gentis Tuae decus, in hanc aetatem propagatum viget, floretque, ac, ut roremus, porro  
florebit.

Et sanè ita oportere, perpetuamque quandam claritatem Genti Tuae deberi persua-  
det nobis illius in sedem Apostolicam peculiaris pietas, illustris magnificentia, & stu-  
dium æternum.

\* 2

Decla



Declarauit id cum ingenti sui aui admiratione, supra centum ab hinc annos Augustinus CHISIVS, qui Roma ad portam Septimianam Regium struxit Palatium, Raphaëlis Vrbinatis, aliorumque prestantium virorum picturis & statuâ famosum. Augustinus hic Leonem X. cum multorum Cardinalium Augustissimo Collegio tanto splendore conuiuii saepius excepit, quanto hac ætate nemo facile præstabit. Declararunt alij pari animo, pari gloria ex eadem Domo, ut mirari non libeat, mutuam Romanorum Pontificum erga Tuam Gentem beniuolentiam ac gratiam, Siquidem Iulius Pontifex CHISIORVM Domum sic adamauit, ut suam stirpi inserendam putaret, & sanè suæ familis signis eam donauit. Paulus III. CHISIORVM suburbanum Palatium, le Volte vulgo dictum, cæteris Senatorum Prætorij præferendo hospitium habuit, ac Celsitudinis Tuæ Pro-Patrum Pandulphum de CHISIS Cauillacensis Sedis creauit Præsule. Thiaræ, Mirræ, Galteri, sancta sunt ab Ecclesiâ accepta beneficia: Dicam verò sanctiora Ecclesiæ reddita. Multis nempe aureorum annue millibus fundatum Senis per CHISIOS. Nobilium Virginum Asceterium, de Refugio appellatum, & Romæ nobilissima Sacella B. M. V. de Pace, atque B. M. V. de Populo, alia Senis, alibique. Ac ne qua laus deesset vndique gloriosa CHISIORVM Genti, vitæ sanctimoniam Diui Augustini Ordine illustrauit B. Ioannes CHISIVS sub annum M. CCCL. à morte miraculis clarus, & incorruptus. Beato hoc Comite Celsitudo Tua scilicet aduenit, & aduenientem Diui nostri, Diuum Genis gratulantes excipiunt Optimum ab Optima Sede missum.

Ne autem dubitandi sit locus de excipientium affectu, vltro ad te duo eorum numero gratulatum adueniunt, non sine mysterio. Sanctus & Sancta, Canonizatus, & tanto honore adhuc dum carens, ne vel sexus vllus conditione vlla officio defuisse noscatur. Sunt hi S. Svibertus Episcopus, alias scriptus, modo defensus, & B. Plectrudis Princeps, & si respiceres, Regina saepe nominata, modo ex monumentis confirmata. Ille extra urbem in Insulam Rheni Casaris dictam, vtrisque positus Populis ad Ortum & Occasum Beneficus intendit. Illa in urbe nostrâ, ipsoque Capitolio, Romani, ut olim res erant, emulo, à se vero in sacrum Asceterium conuerso, Vrbi cui præfuit, consulere pergit.

Hi Te vice omnium, & nostrâ ineuntis Anni M DC XL. auspicijs faustis excipiunt & Millenarium, à quo floruerunt, scilicet optimum apprecantur, optimo omine, & imitatione Patrum Societatis IESV, qui eundem secularem, & Iubileum annum habent suæ Religionis à Paulo III. Pontifice Opt. Max. & CHISIAE, ut dixi, Genti amicissimo, confirmata, Dabat Colonia. Calend. Ianuarij 1640.

Celsitudinis Tuæ

Deuotissimus Cliens.

Aegidius Gelenius Protonot. Aplicus.





VITA ET ANNALES  
S. PLECTRVDIS  
PIPINI CRASSI  
HERISTALLI MAIORIS  
DOMVS FRANCIE REPVDIATÆ  
Coniugis, Fundatricis Prænobilis Capi-  
tolij B. V. Mariæ Coloniensis, deinde Vi-  
duæ sancti ssimæ, & à morte opinione  
Beatitatis claræ.



Istoriã B. Plectrudis sparsim à profanis a-  
lijsq; historiographis conscriptam integrè  
luce donaturus, simul virtutum ornamen-  
ta aperiam, quæ B. Matronæ animum illu-  
strarint, vnde non egregio minus castimo-  
niæ splendore obscuros obscenosque Ma-  
ritimores vincere, quam rara sui magni-  
tudine incumbentes vndique aduersita-  
tum procellas prudenter vel declinare, vel fortiter excipere didicerat:  
atque vt ab ortu eius initium ducam.

Parentes B.  
Plectrudis.

A

Filia



2

Filia ipsa fuit vt veterum diplomata tradunt Hugiberti Boiorum Reguli, Neptis Theodeberti, quamuis ab alijs Grimoaldi Bauari Filia astruatur & antiquissimis leoninis versib. in tabulario Collegij Capitolini B. M. V. Colonia scribatur, (sed absurdo nimis errore) Leonis III. Pontificis Maximi soror, Leo enim Actij Pij siue Azzupij Filius Romanus fuit, Plectrudis vero (teste vel ipso nomine *Bludtraudi* quo etiam appellatur) Germanicam sapit ac habet originem, atateque decrepita, Leonem anno 816. vita functum, integro seculo præcessit. Ipsa vbi adoleuerat, nuptui tradita Pupieno seu Pipino Crasso Heristallo, Caroli Magni proauo, ex quo duos ei Duces genuit Drogonem Campaniæ Regulum & Grimoaldum **Maiorem domus**, qui pro Chilperico Francorum Rege regnum summa cum auctoritate administravit, ac demum fortis Christi assertor ad sepulchrum S. Lamberti Martyrio occubuit.

### Notatio.

**M**AIORIS domus appellatio, que summis Francorum Magistratibus conueniebat, perquam erat antiqua, videtur enim originem accepisse circa annum 450. à Christo nato, dum Franci diminuta Romanorum potentiâ sedem, & quod etiam modo occupant dominium inuaserunt. Hinc Sidonio lib. 4. epistola:

17. & passim alibi, hæc salutationis formula: **Domine maior**, familiaris est, quam plerumq; illustribus viris dedit. P. Iodocus Cocius in Dagoberto Rege pag 92. ex Romanorum magistratibus auctoritatem & officium Maiorum domus deriuat.

**P**Ræter hos Pipini & Plectrudis liberos Hadrianus Barlandus in *Chronicis Brabantia* adnumerat Syluinum & Nortburgem, qui etiam Sanctorum appellationem meruerunt. Vt verò beneuolus Lector vno obrutu perspiciat, quæ deinceps de legitimis & adulterinis alterutris coniugum hæredibus dicenda erunt, lubet stemmatis integri arborem hic inserere.

AR-



**A R B O R S T E M M A T I S S. P L E C T R V D I S.**

Anbertus. Vxor Blicrada F. Clotharij.

Arnoldus. Vxor Oda.

Carolomannus Palatij Austrasia maior.

S. Arnulphus Princeps, postea Episcopus Metensis, & B. Doda Vxor, que in Carnebio Treueris inclusa anno 621. antequam fundaretur Horreum, ac proinde errant, qui dicunt in Horreo inclusa.

Ansegisus Princeps gener Pipini Landensis.

B. Pipinus Landensis, qui sub Lothario & Dagoberto Regibus fuit Princeps illius districtus, quem ambiunt Rhenus, Mosæ, Mosella, Frisonum mare & carbonaria flus. Vxor Takerga vel Itra Ruobaldi Treuerensis Archiepiscopi soror, Filia Ducis Aquitaniae.

Grimoaldus quem S. Cunibertus sub Sigoberto Rege ad principatum promouit, obiit 655.

VV Albertus duxit S. Amelbergæ Vxor Bertiliam, & qui VVigeri Comitis escum Cartholre. quiescit Binchij.

S. Gertrudis Ni- S. Begga Anden- uellensis instituta nensis vxor Ansegisus obiit 664. gisi obiit 689.

S. Siluinus Cōf. S. Noitburgis Virgo Hic duo an ex liberis S. Plectrudis sint non est adeo certum, cum sere veterum scriptorum alia sententia sit.

Drogo obiit 699.

S. Emebertus Episcopus Camerac. Venantius. S. Ranilda. S. Pharaïldis. S. Ermelindis. S. Gudila. S. VValdetrudis vxor S. Vicentij Sonog. S. Aldegundis Abb. Melbod. Amelbergæ.

Pipinus. Godefridus. Hugo. Arnulphus.

Theobaldus. S. Landericus Episcopus Meldensis. S. Dentlinus. Reliquiesc. S. Aldetrudis. S. Madelb. ta.

Efficia fundatrix Cornobij Rutilensis nunc Carthysie. Ada dotatrix S. Ma- N Mater ximini Treuerensis. S. Reinodi.


Childebradus. Carolus Martellus obiit 741.

Nebe- lungus. Ladrada vx. Sigeranni. Hiltrudis vx. Odilonis. Hieronymus. Remigius Ar. Rothomag. Bernardus. Grifo Dux. Pipinus Rex Francorum. B. Carolomannus Monachus.

S. Godefridus Episcopus Metensis. Tasilo Dux Bauar. Fultra d' Ab. S. Adolarus Abbas Corbei. VVala Abbas Corb. Carolomanus Carol Magnus.



CONTINUATIO STEMMATIS.



His



S. PLECTRVDIS DVX VIDVA.

5

His de progenie B. Plectrudis pressissimè propositis, venio ad Virtutes  
 præclara ipsius gesta, per publicos priuatosque Mariti casus ac for- S. Ple-  
 tunam: quæ in vtramque partem sita accepit, vt fuerint illi perpetua trudis.  
 materia virtutis, & augmentum Sanctitatis. Nec facile erit reperire a-  
 liam Principem quæ æque ac hæc nouerit dominari Fortunæ, aduer-  
 sè per patientiam, prosperæ per temperantiam. Primū autem bono-  
 rum operum eius scripto proditorum inuenio, quod in Passauiensi ci- Bruschiu  
 uitate summam S. Stephano protomartyri adem, suā munificentia erectam in Bruno-  
 liberalissimè, vti eiusdem templi monumenta & inscriptiones, etsi oblitera- ne passa-  
 ta & pene illegibiles, docent siquidē in ea ade ipsiusmet Plectrudis imago cū hac uienſi Ep.  
 epigraphæ asseruata fuit PLECTRVDIS REGINA à DEXTRIS  
 TVIS IN VESTITV DEAVRATO CIRCVMDATA VA- P. Brun-  
 RIETATE Fuit hæc ædes sub annum Domini 641. iisdem testi- ner. lib. 5.  
 bus excitata, an vero eodem anno ita munificè eam dotarit B. Ple- Annal.  
 ctrudis, nec habeo cur certo asseram, nec cur negem Aetas videretur Boicorum  
 obstare vtpote quæ Pipino Ann. 714. æra maiore, nostrâ 712. de- 641.  
 functo superstes fuit, sed si centenariam facimus, non obstabit, &  
 hanc ætatem suadent primo Nepotes ex filiis ante mortem visi, at-  
 que officijs publicis admoti, secundo repudium sub finem sæculi sep-  
 timi à Pipino ei forte tanquam vetulæ irrogatum. Quo igitur tem-  
 pore Nupta sit Pipino in incertis relinquo, certius delignare possum  
 annos quibus Pipinus ad Regibus parem potentiam excreuit per gra- Grad. po-  
 dus, inter quos post Natiuitatem illustrem è Maioribus domus, & tentia Pi-  
 coniugium cum principe Boijci sanguinis, primus fuit Grimoaldi pini ma-  
 auunculi sui cum stirpe interitus is enim Maior domus Australiæ riti S. Ple-  
 sub Sigeberto Rege, dum fidei suæ commissum alumnum Dago- trudis.  
 bertum Regni hæredem attondet, & in Scotiam deportari, suum ve- 657.  
 ro filium Hildebertum in regnum leuari procurat, à Francis Neu- An. 657.  
 striis captus. Parisiis carcere perpetuo contabescens grandem fecit apud Gē-  
 locum Pipino ad incrementa honorum & diuitiarum, in materna blacensē  
 masculis orbata domo. & Ms.

Alius deinde crescendi gradus eidem est oblatuſ Anno 666. & Francorū  
 7. quando Franci, Neustrij videlicet, Childericum Regem suum, Historiā  
 nuper ex Auſtrasia cum Maiore Domus V Vulfoaldo euocatum E- 666.  
 broino (qui ex Luxouienſi monasterio profugerat) in centore occide-  
 runt. Tunc enim penitus Regum Francorum corruente autoritate,  
 pueris nomine, reuera autem Maioribus imperantibus Auſtrasijs, tam  
 pingū



pingui occasione libertatis vtentes sibi ē potentissimis principibus duos crearunt Domus Maiores, superioris Germaniæ Martinum, inferioris verò Pipinum Heristallium, quibus freti Ebroinum Maiorem domus & Theodoricum Regem Neustriorum etiam bello laceffere ausi fuerunt. Erat horum omnium non solum spectatrix sed etiam, si affectum spectes, magna pars B. Plectrudis. Itum est in prælium apud Lucofagum, in quo etsi Martinus Dux circumuentus periit, Pipinus tamen cum exercitu suo saluus euasit, seruatus haud dubie pietate Plectrudis honorum operum frequentia Deum expugnantis.

Imo tenuit utcumque Austrasiam suam Pipinus, etsi ad multa Ebroini ac Theodorici scelera, veluti sanctorum & innocentium Episcoporum Ansberti & Lamberti aliorumque proscriptiones metu maiorum malorum conuiuere fuerit coactus, emerfit tamen etiam ex illo metu quando octauo anno Theodorici Ebroinus occisus pœnas dedit longæ improbitatis Ann. videlicet 674. tunc enim inique in exilium actos, & in his B. Lambertum & Stabulensi monasterio reuocatum sedi suæ, & alios suis restituit.

674.  
Pipinus ab  
exilio re-  
uocat Sā-  
ctos.

Ms. Hi-  
storia  
Francorū  
& alij.  
Pipino &  
S. Plectru-  
di accep-  
tus S.  
VWilfri-  
dus.

679.

Sed cum Franci pro Ebroino, Pipini consilio Maiorem domus Franciæ seu Neustriæ creassent VVarathonem, Gislemarum filium eius *procacem, astutum, animo ferum moribus acerbum impulit malus demon vt patrem de honore deijceret. Vnde iterum grauis & longa concertatio inter illum & Pipinum Ducem Austriæ est exorta.* Hoc rerum statu S. VWilfridus nouum ostium meritorum Pipino & Plectrudi aperuit, nam dum is ad sedem Apostolicam ex Anglia, ob Regis sui Egfridi, & aliorum iniurias à se propulsandas, declinata Francia sibi infesta, iter per Austrasiam intendit, tempestate in Frisiam actus, per Hyemem ibi subsistens apud Aldgillum Regem Euangelium cœpit perdicare. Cui deinde & personæ & negotio impense fauerunt. Nam & VWilfridum benigne receperunt, & apud Regem Dagobertum, quanquam per se oblitum adiuuerunt. *Sed demum Gislemarus maior domus Neustria, seu potius Tyrannus, vt S. Audoenus prædixerat, iniquum Spiritum exhalauit, & Pipini consilio VVaratho honori pristino restitutus est sed intra paucos dies obiens, Francis de Principe Palatij disidendi occasionem nouam prabuit Ita Pipinus iterum cum Neustrijs & Rege eorum Theodorico in arma venit, quod Bertharium statura pusillum, Sapia ignobilem, &*

*consilio*



consilio inutilem constituisent Domus Maiorem. Factum est id Anno 686. & victor Pipinus occiso Bertario, à Theodorico Rege Francis Neustrijs consentientibus est receptus in Principem A REGE SECVM DVM IN VNI-  
 VERSO SVO REGNO. ille tamen paucis diebus euolutis in terram suam  
 id est Austriam remeavit, & in loco suo quendam de suis militibus nomine  
 Norbertum reliquit. Atque ex eo tempore quidam annos principatus  
 Pipini numerare noscuntur, ij scilicet qui ei XXVII. annos attri-  
 buunt. Hoc tempore Draco seu Drogo filius Pipini & Plectru-  
 dis in Ducem Campaniæ creditur esse sublimatus. Mox XII. A-  
 postolici ex Anglia viri S. Suibertus, S. Vvillebrordus S. Evval-  
 di, S. Marcellinus & alij ad prædicandum Frisij & antiquis sax-  
 onibus Euangelium vltraiectum in Frisiorum Regis ditone po-  
 situm venire Anno. 690. tertio Sergij Papæ & Aldevvino Colonien-  
 sium Episcopo sedente, quibus idem Pipinus Maior domus  
 Dux Agrippinensium & totius Australiæ Princeps multam o-  
 peram cum S. Plectrude impendit, nam à Radbodo sub an-  
 num 693. expulsos, recepit benigne, & bello illato Anno 694.  
 Radbodum furentem idolomaniâ, compescuit ademptis ei terris que  
 nunc Hollandiæ comitatu, vltraiectino Episcopatu, ac Tetrarchiæ  
 Arnhemensi continentur: in quas cum ijdem ac noui operarij  
 fuissent immissi, læta seges ac messis Religionis Christianæ, huc  
 vsque durans prouenit. Sane S. Vvillebrordum non solum præ-  
 diis ac fundo in Treuirensi diæcesi instar asyli ex prædicatione  
 gentilium, condonarunt coniuges illustres, sed etiam eundem Ro-  
 mam euntem, vt Episcopus consecraretur, Anno. 695. ac 6.  
 itinerum & moræ Romanæ sumptu iuuerunt, atque reducem A-  
 postolica cum benedictione exceperunt Anno 697. quo Anno  
 teste sigeberto Gemb. secuta est vltraiectini Episcopatus fundatio  
 Reuerso enim à Sergio Pontifice venerabili VVilibrordo Epi-  
 scopo Clementi iam dicto donauit locum Cathedra Episcopalis in Ca-  
 stello suo illustri, quod antiquo gentium illarum vocabulo Wiltaburgh  
 id est, oppidum VViltorum dicitur, nunc Vltraiectum (Brecht) ap-  
 pellatur. Alia ei adiecit B. Plectrudis, vt testis est Myræus in  
 Codice Donationum piarum cap. 8. Non multo post ijdem  
 SS. Evvaldorum Martyrum corpora vt pote recens apud Tre-  
 moniam, (Dormundt) occisorum miraculosè per Emschar fluui-  
 um deuecta & aduersus Rhenum multâ cum luce natantia hono-  
 re tanto miraculo, & Martyribus digno exceperunt atque in D.  
 Cle-

686.

Pipin. ma  
ior dom.  
in Fræcia.Drogo F.  
S. Plectru  
dis dux.  
Apostoli  
German.

690.

693.

695.

Ann. 697.  
Fundatio  
Episc. vltra  
iectini.SS. Evvale  
di



Clementis, nunc Cunibertinâ in Rheni littore sitâ Ecclesiâ, cum magna Gloria, Clero & populo prosequente reposuerunt. Errant enim qui id martyrium ante 697. annum contigisse putarunt: Siquidem eo anno, vel sequentium aliquo, synodo ultraiectinâ interfuerunt, & Apostolatus munus ad VVestphalos acceperunt. *cap. 14. in* constat ex S. Marcellino, ad hæc, eadem posteriora Plectrudis & *Vita S.* Pipini tempora pertinet eorundem in SS. ex Britannii Peregrinos *Suiberti.* liberalitas & amor, siquidem ex horum frequenti numero VVironem ac Plechelmum Episcopos cum Otgero Leuita ex Anglia *Pipini &* peregrinantes ipse & Plectrudis Agrippinensium Duces honorificè susceperunt, eisque Coloniz in Insula S. Martini Scoticæ Nationis monasterium erexerunt, aliudque etiam iis ipsis ad Mosam *Plect. hu-* fluium nouo beneficio extruxerunt, quod mons S. Petri nunc S. *manitas* *erga SS Pe* Odilæ nuncupatur. Summa erat nobilissimorum coniugum erga *regrinos.* Beatos Peregrinos reuerentia, quin & erga sacerdotes, adeo ut *Monast. S* Pipinus VVironi tanquam presuli anime sue ( verba sunt ex vita S. *Mart. Co-* VVironis apud Surium 8. Maij ) vitæque patrono propter eximiam *lonia à S.* sanctitatem sua illi peccata confiteri solitus sit, nec erubuerit ad faciendam *Plect. su-* confessionem detractis calceis eum adire, eiusque oris imperio parere, *datū.* pius etiam volebat eum interesse communibus consultationibus maiorum: *Mōs S. Pe* Pari pietate, posteriori tamen iuxta Baronium tempore, Pipinus *tri propè* noster Heristallus misit aliquando hominem ex suis primarium, *Ruremū -* qui Corbiniani ( Frisingensis in B. Plectrudis natali solo demum *dam.* Episcopi ) precibus illum submissè suppliciterque commendaret, hominem etiam Dei ad se accersuit, donauit & eleemosynis *Pipini hu-* uongentorum auri solidorum, ex quibus B. Corbinianus o- *milias.* ptimum deinde agrum *chories* nomine coemit *ita in vita B. Corbiniani* *Bar. Ann.* Aribo & Episcopus Frising. M. Velserus, Matthews Raderus & alij. Nec in] *716. Suri-* viuos Sanctos magis pij fuere quam in vita sanctos, quippe qui *us 8. Sept.* tum alias sæpe veneranda loca adierunt eaque muneribus amplissimis honorarunt, ex quo, genere est illud quod D. Miræus in Annal. Belgicis annotauit eos An. 691. S. Trudonis sepulchrum inuississe ac magnificè eiusdem monasterium dotasse. Sed in hoc honoris operum hæctenus pari inter couiuges cursu, B. Plectrudis tandem Maritū præuertit longissime, quando ille *cetera egregius princeps contempta legitima vxore* Plectrude dico, *Alpaidi pellici se addixit* sub ann. 694. ut videtur exeuntē, *Id vero Lābertus,* in cuius parochia facinus gerebatur, præ zelo Domus Dei ferre non sustinens opportune & importune argu-



arguebat Principem (qui sicut in ceteris, ita & in hoc libenter audisset recta mone-  
rem Episcopum, rectius consulisset sibi. At illa maligna mulier moleste ferens Pipi-  
num à sui amore reuocari, Dodonem fratrem suum Pipino familiarem, genere &  
opibus præstantem hortatur vt non sinat Lambertum tantum posse apud Pipinum,  
vt cogatur ipsa ab eo recedere in dedecus natalium suorum. Ille verò agit cum suis,  
datq; operam vt Episcopi conatus impediat, sed videns eum perstare in sententia nec  
contra iustitiam cuiusquam faciem vereri, amicis quibusdam sororis vltionem per-  
mittit: Ex ijs Gallus & Roldus cum omnibus suis valde cœperunt vexare Episcopi  
familiam, nullum calumnia aut molestia genus permittentes, vt vel Episcopus suo-  
rum causa cessaret, molestus esse Pipino propter Alpaidem, sed vir iustus velut Leo  
confidens iustitie patrocinium nulla ratione deseruit. Tandem improbi illi ab Episco-  
pi cognatis cœsi sunt molestissime id ferente Dodone & causam mortis in Sanctum  
conferente. Per id tempus Pipinus Princeps in Iopiltam villam aduenit, venit etiam  
eo vir Sanctus, ab eo tanquam pro regni tractandis negotijs euocatus, ibi tum & Pi-  
pinus & pellex animos iratos vultu sereno tegunt, alij iram dissimulant, alij læti-  
tiam simulant, pleriq; pro suo quisq; arbitrato in varias se formas transmutant:  
valde autem pellex in id incumbat, vt per aliquem posset Episcopi animum sibi  
conciliare, vt vel in presentiarum abstineret à Principis reprehensione: Apparatur  
conuiuium, Episcopus inuitatur, lætantur aulici omnes, Princeps oblatum sibi à Pi-  
pina poculum innuit Episcopo offerendum benedictionis loco habiturus, si à conse-  
cratâ manu ipse poculum acciperet, quod Maximum Imperatorem olim nouerat ex-  
pectasse à Beatiss. Martino Episcopo: Et Episcopus illud quidem Pipino tradidit, cuius  
Principis reliqui Proceres secuti exemplum, optabat à S. Episcopi manu poculum sibi  
porrigi. Cunctis igitur certatim hoc expetentibus, & confusè sese ingerentibus, vt a-  
lij alios anteuertant, ipsa quoq; pellex clam suam inserit manum, vt vel sic posset ex  
sancti viri manu poculum accipere. Sed ille scemina insidias deuigans, & ad Princi-  
pem conuertens de mulieris temeritate conqueritur, quod calliditate quadam con-  
cedere, & omnis illa conuiuij iucunditas perturbatur: Nec sic tamen quiescit versu-  
tia mulieris, sed vsperi volenti recedere Episcopo mandat Princeps illâ suggerente, ne  
insalutata suâ Contuge recedat: At Episcopus magnâ animi constantiâ, Ego verò in-  
quit, O Princeps, testor IESVM spem vitæ meæ me nunquam adultera communi-  
caturum prohibente Apostolo ne commisceamur fornicarijs. Te verò illi communicare  
valde doleo, te nolle respicere moleste fero & timo sanè tibi impendere iram Dei.  
Cernēs erga pellex si diutius viuat Lambertus timendū sibi esse, ne à Pipino separetur,  
omnia Dodoni significat, & oleum camino addens obtestatur, tum vt ocyus è medio  
sollat: Ita ergo & Cognatorum cadem, & Sororis discrimen vlturus Dodo, totum se

Contra iu-  
stitiam ca-  
lumniz.

S. Lamber-  
ti zelus pro  
Plectrude  
& iustitia.



S. PLECTRVDIS

Cædes S.  
Lamberti &  
cognatorū.

698.

17. Septem.

S. Lamber-  
tus apparet  
à morte.

Pœna Do-  
donis ac  
persecuto-  
rū S. Lam-  
berti.

B. Begga so-  
crus B. Ple-  
ctrudis mo-  
ritur.

699

700

B. Plectru-  
dis fundat  
Capitolinū  
Clausrum.

accingit ad perendum Sanctum Episcopum, qui iam præsciebat necem suam: Deinde perpetratum est illud immane parricidium, quemadmodum superior historia continet, nimirum quod a seitis sibi Dodo viris scelestissimis & audacissimis in villa Legia adortus est sanctissimum virum orantem & per modum Crucis manibus in celum expansis ante sacrosanctum altare Beatorum Martyrum Cosma & Damiani manentem, quem impiè atq; crudeliter lancea perforantes interemerunt, atq; cum ipso simul cognatos Perrum & Adoletium quod fieri contigit hoc anno decima septima die mensis Septemb. sed quæ propterea sit secuta vitio Diuina Dodonem ac socios nefandi sceleris accipite. Apparuit Lambertus nocte Amalgisilo thesaurario, & blande eum compellens Romam, inquit, iuimus: Roma rediimus visitaturi Dodonem & Complices eius. Sanguis enim innocentum qui mecum pro Christo effusus est à Deo vindictam expetit. His dictis euauit. Veram autem fuisse visionem res ipsa declarauit; Dodonis enim viscera omnia statim computruere, eaq; mirè scœntia per os reiecit; ac tandem propter nimiam fetores intolerantiam corpus eius in Mosam proiectum est vermibus ac tabe corruptum, Qui autem S. Episcopum interfecerat: telo suo, cum fratre suo congressus illum occidit, & pariter ab illo peremptus est: Deniq; intra anni spatium vix quisquam euasit ex ijs, qui eius cædis participes fuerant: si qui verò superfuere illi adeo aut sensibus aut censu & rebus destituti sunt, vt illos felices ducerent, qui celeri morte absumpti fuerant: Annus facinore in S. Lambertum perpetrato horrendus, tristis etiam B. Plectrudis accidit ex morte socrus suæ matris Pipini B. Beggæ sanctitate claræ, à qua si quid solatij expectare poterat, carendum fuit.

Sequenti verò anno 699. vt testis Sigebertus, filio quoque Drogone Campaniæ Duce fuit orbata, in cuius locum à Pipino alter legitimus filius Grimoaldus aulæ Hildeberti Regis præficitur, eiq; filia Radbodi Frisonum Ducis in vxorem desponderetur. Drogonis mortem, secutus Gemblacensis, huic anno adscripsi: Baronius verò ex Marcellino, vt putat, post Pipini parentis obitum reijcit, vt infra ad an. 714. videbitur, vbi Marcellinum interpretabor.

A nato Salvatore septingentesimo & sequentibus annis B. Plectrudis tota occupatur in Coloniensis Capitolij destructione & erectione nobilissimi templi atque Asceterij, de qua re hi versus extant Leonini:

*Plectrudis Regina dolens animumq; resumens  
Sat caute gessit, Gazis habitisq; recessit,  
Pergit Agrippinam disponendo Libitinam  
Mundum despexit, Dominoq; fidelis adhaesit  
Ac inibi claustrum statuens multum pretiosum*

Hocq;



D V X V I D V A,

Hocq; puellarum titulando rosamq; rosarum  
 Eligit ipsa piam patronam rite Mariam  
 Prædia multa parat, Claustro magnalia donat  
 Hæc circumspexit per singula strenua rexit.

Prædia quibus Claustrum dotavit alibi sic enumerantur. ¶

REGINA  
 Plectrudis

REX  
 Pipinus

NB. Non fuit  
 Rex, licet ita  
 appelletur in  
 plurib. MSS.

Regibus exemplum dantes memorabile templum  
 Prasens fundamus, struimus, largog; beamus  
 Auro, Sapphyro, gemmarum scemate miro  
 Addentes rura, vasallos prædia plura

Scilicet Efferen / Bischenich / Siogen / Differnich /  
 Wollerschem / Erbhan / Pisen / Grawulleschem /  
 Godesbergh / Nonffe / Luzen / Winthere / Heppinckhous /  
 Dalen / Merenther / Dorschmich / Kaendrude / Polle /  
 Dursten / Hanzelar / Winnerstwic.

In claustrum Capitolini ædificatione magni momenti obseruatio  
 est. Voluisse B. Plectrudem Colonienibus Tutelaribus singulare se-  
 ptimo seculo, & preciosum monumentum, hanc statuere Basilicam,  
 quod leoninum carmen indicat: Deipara nempe Patrona Virginum-  
 que nostrarum lilys ac Martyrum rosis. Hinc circa chorum exteriori Ba-  
 silicæ muro parietibusque, plures vndique insertæ sunt marmoreæ  
 hypsanothecæ vndecim mille Virginum & Martyrum Thebeorum, vti  
 ex Sarcophagorum inscriptionibus patet.

S. Plectrū  
 dis Venera-  
 tio & mo-  
 numentum  
 SS. Virgi-  
 num & SS.  
 Thebeoꝝ  
 rum.

796

Anno deinde natæ salutis septingentesimo sexto, Pipinus &  
 Plectrudis nouis beneficijs cumularunt Epternacense Monasterium,  
 & luculentis possessionibus auxerunt, vti ex his tabulis patet. Ego in  
 Dei nomine illustris vir Pipinus, filius Ansgisti quondam, nec non illustris Matrona  
 mea Plectrudis, filia quondam Hugoberti, reputantes varios nobiscum humana fra-  
 gilitatis casus; quo nimirum & præterita vita posimus abluere sordes, & donante

Epternacū  
 B. Plectru-  
 dis dotat.



S. PLECTRUDIS

Domino, ad aeterna gaudia peruenire; donamus monasterio, in loco, qui cognomen-  
tum gerit Epternacum, pagog. Bedensi ad Suram amnem exstructo, cui virum stre-  
nuum & Dei cultorem Apostolicum Willibrordum Episcopum, cum turba mona-  
chorum imposuimus, illud Epternaci dimidium, quod Theodharius quondam Dux  
ibidem obtinuit; & postea filius eius Theodharius, nobis quondam tradidit; ijs ta-  
men facultatibus exceptis; quas Irmina in ipso Epternaco possedit. Actum Gai-  
mundis III. Idus Maias, regni D.N. Childeberti anno XII. Pipinus & Plectrudis,  
item Chudbertus, Bernarius, Charibaldus, Constantinus, Iosephus, V Vinetharius  
subscripsere.

709 Anno nono post septingentesimum B. Plectrudis S. Swiberto  
B. Plectru- locum in Insula Rheni concessit, ibi simul Collegium erexit. Atten-  
dis libera- dens S. Swibertus, inquit Marcellinus, Gloriosus Pontifex gregem suum hac  
litas erga S. illacq; dispersum, & quod nullum fructum nullasq; inducias inter vtrasq; partes  
Swiber- cum suis propter saxea Saxonum corda facere posset, exorauit assidue Domi-  
rum. num, vt ei iam seni locum ostenderet, vbi habitare deberet. Tandem Ange-  
Duces A- lica reuelatione admonitus, precipitur ire Coloniam Agrippinam ad Pipinum  
grippinen- Ducem & Plectrudem eius Coniugem, qui ei aptum locum permanendi cum  
les. suis condonaret. Igitur Sancti Swibertus vale faciens Boruchuaris cum suis  
presbyteris & Clericis ac nonnullis Christianis, per squalida & deuota loca in  
magno discrimine ferocium Saxonum, Coloniam vsq; Deo comitante, & dirigente  
vias suas peruenit. Erat autem eo tempore Serenissimus Dux Pipinus habitans in Iop-  
pilia (Ioppiliam non multum distant ab Herstallo celebri Australis Ducu  
praetorio haud procul Leodio ad Mosam sito ex sequentibus patebit)  
sua Alpaida pellice sua: Plectrudis vero Dux eximia & deuota Princeps moram traxit  
Colon. Agripp. in Palatio DUCVM AGRIPPINENSIVM ET LOTHARINGO-  
RVM, quod per eam mutatum & consecratum est in Claustrum Sanctimonialium, in-  
ritulaturq; Ecclesia Gloriosa B. Mariae Virginis ad Capitolium. Cumq; ea audiuisset  
aduencum S. Swiberti magnifici Praesulis, gauisa est gaudio magno, audiuerat e-  
nim multoties a pluribus celeberrimam ipsius opinionem, deposita fastu Regalis ex-  
cellentia, ipsum cum venerabili Patre Annone Archiepiscopo Coloniensi honorifice  
ac deuote recepit, secumq; aliquot diebus detinuit, ac miro semper eum humilitatis  
affectu coluit, vt ab eo secretioribus colloquiis salutis verba mereretur audire: Eo-  
dem tempore quidam Illustris Palatinus Geraldus nomine. (fuit hic Geraldus,  
vt capite 23. Marcellinus indicat; Palatinus de Ardenna) veniens Colo-  
niam missus per Pipinum ab Herstallo siue Ioppitia ad Plectrudem cum decenti mi-  
praesente B. lilia, statim propter Borealem rigidum incidit in grauem morbum inflationis gut-  
Plectrude. suris, idq; adeo vt a nullo medicorum posset ei subueniri: quia nullam potionem re-  
cipere

Anno I. Archiepisc. Miraculu  
Miraculu praesente B. Plectrude.



cipere vel deglutire valuit. Cumq; omnes lamentarentur illum, desperantes de vi-  
 ta ipsius, Plectrudis memor virtutum S. Svibertus, deuotissime petijt ab eo,  
 vt amore Iesu Christi dignaretur visitare nobilem Palatinum iam agonizantem,  
 & ipsum pontificali sua benedictione sanctificare, & pro eo coram omnipotente  
 Deo intercedere. Sanctus vero Svibertus, vt erat columbine simplicitatis & pu-  
 dica natura, humiliter cum B. VVilleico suo Presbytero & Ducissa Plectrude  
 ipsum accedens, premissa deuota oratione, signauit guttur eius, & mox apostema  
 illud diruptum omnibus cernentibus crepuit, & horribiliter per nares & os effluxit  
 tabes & venenosa putredo, & sic expulsis illis noxiis humoribus statim sanatus fuit.]  
 Hucusque Marcellinus, qui & ibidem narrat, virtute S. Svibertus  
 B. Plectrudis Palatii Agrippinensis coquum a Dæmone fuisse libe-  
 ratum. Quibus miraculis capta Plectrudis, S. Svibertum cum Ge-  
 raldo iam dicto Palatino Heristallum dimisit, literisq; Pipino com-  
 mendat, vt ipsi donet vicum Werdensem: (Werda hæc seu Insula-  
 Cælaris infra Nouesium Orientalem ripam Rheni occupat, supra ca-  
 strum \*Ordeonij, haud procul veteri Romanorum \*Gelduba, locus \*Vrdingē.  
 ad excursions in Saxoniam & Boructuariorum gentem fidei propa- \*Gelb.  
 ganda causâ faciendas commodissimus) Suscepit B. Svibertum Pi-  
 pinus senex iam & prouectæ ætatis honorificè, & aliquanto tempore  
 secum detinuit, vt verba vite ab eo audiret, eo quod pridem à plerisque multa  
 laude digna audierat, ait Marcellinus. Tandem vicum VVerdensem propter  
 profectum & firmamentum suorum principatum donauit, addens aurum & ar-  
 gentum multum nimis, quibus Ecclesiam & Monasterium ibidem in honorem  
 Dei edificaret, & populum Barbaricum, fidei Christianæ prorsus ignarum, verbo  
 vita resciret. Lætus donatione Principis Svibertus Coloniam ad  
 Plecthrudem rediit, eiusq; potentia & industria cœmentariis aliisq;  
 operariis auctus, in Insulam Werdensem profectus est, & Monaste-  
 rium ad honorem Gloriosæ Virginis Mariæ ædificare cœpit.

Anno 712. & 713. B. Svibertus, etsi parum apud gentem duræ cerui-  
 cis proficeret, nihilo tamen minus desperandum de prosperiore ratus  
 euentu, indefinenter messi Dominicæ institit; hinc factum, vt plures  
 tum nobiles, tum ignobiles, repudiatis idolorum sordibus fidei fonte sint abluti.  
 Quin & ædificationem Monasterij sui Werdensis, qua in re mirum  
 in modum adiutus est liberalitate Primatum aliorumq; Christiano-  
 rum, imprimis verò B. Plecthrudis, promouere non destitit: Interea  
 (vt hoc propter temporis seriem addam) Anno primus eius nominis  
 Colonienſium Archiepiscopus, quem B. Plecthrudis lubens audiebat,



S. Agilolph  
fuit legatus  
S. Plectrud.

vita fungitur, cui Pharamundus successor datus est, sed & hoc breui sublato, S. Agilolphus Coloniensi Cathedrae praeficitur, qui à B. Plectrude anno 714. ad Pipinum Herstallum, vt vitæ impuræ detestationem, aliaq; quæ ad successionem spectant, persuaderet, est missus: Ex quibus colligere licet, anno 712 aut 713. vel ad summum 714. Agilolphum Episcopatu Coloniensi iam fuisse praestitutum. Vnde castigandus Mersæi Bertijq; error, qui B. Agilolphum anno Christi 728. Coloniensibus Archiepiscopum datum referunt; qua enim aliâ ratione S. Marcellinus B. Agilolphum Archiepiscopum Coloniensem cum S. Sviverto anno 714. ad Pipinum iamiam moriturum à Plectrude missum assereret; si demum anno 728. Agilolphus Archiepiscopale apud Agrippinenses fastigium conscendisset. Fateor ex alia computandorum annorum ratione potuisse designari annum 720. quem etiam assignat Mersæus: sed hæc Chronologis relinquamus.

Et, vt quoque hoc ex Miræi Annalibus Belgicis interferam, Pipinus animæ suæ metuens, anno quarto Dagoberti Regis, id est, hoc anno Christi 714. sexto Nonas Martij contulit venerabili VVillibrordo villam in pago Masariorum, à præterfluente riuo Suestra nomen sortitam, per Plectrudem ab ingenio coemptam, vt Theofridus Abbas Epternacensis in MS. vita S. VVillibrordi loquitur. Suestra porro seu Sustera nunc est ditionis Iuliacensis oppidum Diocesis Leodiensis, in quo hodie residet illustre Virginum Canonicarum Collegium à S. VVillibrordo fundatum.] Hactenus Miræus. Nunc ad S. Plectrudis legationem redeo: Contigit, ait Marcellinus, ab Incarnatione

714.

Domini anno septingentesimo decimo quarto, Pipinum de Herstallo strenuum Principem & Maiorem domus Francorum, dolentem super innocente morte sanctissimi Præsulis Tungrensis Lamberti, ad mortem agrotare, accersitusq; Svivertus egregius Pontifex ad visitandum eum per nobiles viros perrexit, prius cum VVilleico & Theodorico discipulis suis Coloniâ ad Plectrudem Illustrem Ducissam Lotharingia siue Austrasiorum, consilium ab ea expetens, quidnam facere deberet. Quæ eum religiose suscipiens & tractans, tandem retento Colonia pio VVilleico Presbytero S. Sviverti apud se causâ deuotionis & consolationis (erat enim felix VVilleicus Euangelicus sacerdos) misit S. Svibertum & Agilolphum Coloniensem Archiepiscopum cum plerisque aliis Prælatibus ad Pipinum Principem coniungem eius ad informandum eum stobiret, ne illustres legitimos suos filios Drogonem Ducem Campania, Grimoaldum Maiorem domus Childeberti Regis Francia exheredaret, heredem scribendo Carolum Martellum illegitimum ex Alpaide pellice genitum, in detrimentum & damnationem animæ suæ, & in confusionem sui & totius Ecclesie,

B. Plectrud  
SS. Agilolphū & Svivertū ad Pipinū legat.



clētia, atque in scandalum suorum & primatum atque subditorum, & quia S. Lambertus Episcopus eundem Pipinum de illicito connubio Alpaidis increpauerat, martyrium subiit. Venientes igitur prefati Pontifices Ioppiliam ad agrotantem Principem Pipinum, benignè ab eo suscepti sunt: Qui ipsum consolantes & ad tolerantiam rerum temporalium & infirmitatum corporaliū confortantes, aiebant, quod Deus dilectis suis iter asperum facit, ne dum delectarentur in via, obliuiscerentur eorum, quæ sunt in patria. Tandem nactō opportuno & congruo inter cetera pro salute & remedio animæ suæ, causam pro qua venerant, ei deuotè & salubriter exponentes Pontifices, & de illicito matrimonio increpantes, statim cum indignatione repulsam patiebantur. Alpais verò legationem sanctorum sciscitans & comperiens, irata valde Pontifices abire celeriter precepit, & ipsa interpellans importunè pro Carolo Martello filio suo apud Pipinum, impetrauit cuncta pro eodem filio suo, qua petierat. Pipinus eodem anno moriens eundem Carolum Marcellum suorum Principatum reliquit heredem. Quod cernentes prefati Pontifices in glorij & tristes Coloniam redierunt, enarrantes Plechtrudi omnia, quæ gesta erant in Ioppilia à Pipino, consolantes eam & ad tolerantiam patientiæ animantes.]

Hæc Marcellinus. In quibus, quod de petitione B Plechtrudis, ne Pipinus illustres legitimos suos filios Drogonem Campaniæ Ducem, Grimoald<sup>o</sup> & Grimoaldum Maiorem domus Franciæ exheredaret, narratur, sic B. Plechtrudis filij quæ patrem morte præuenerant. Hic hoc eodem anno 714 vel, quod uerius, præcedenti 713 in Martio Leodij in æde sacra ad aram S. Lamberti, à Filio quodam & gentili milite Radbodi Frisonum Ducis satellite Ranigario dicto cæsus est; ille anno 708. ut notat Albicius, aut anno 699. ut Gemblacensem sequens supra dixi, obiit. Quod itidem Grimoaldus Maior domus Childeberti nominatur, qui Rex quatuor ante annos naturæ concesserit, nō est error in B. Marcellino, sed ealoquendi figura sit, qua, quæ præterita sunt, præsentī temporī attribuitur: nam Grimoaldus annis iam quindecim præfuerat, ut ex Gemblacensi patet. Ceterum in Grimoaldi locum & præfecturam palatij, Theobaldus filius Grimoaldi ab ano Pipino est substitutus, quem Gemblacensis, Trithemius, Vbbo Emmius lib. 4. rer. Fris. & Albicius in Carolingis erroneè filium Drogonis constituunt, cum ex Aymonio de gestis Francorum lib. 4. cap. 49. & Adone Viennense discamus, eum filium fuisse Grimoaldi. De qua re infra notabo ad Compēdium vitæ S Plechtrudis.

Interea temporis, quo SS. Agilolphus & Svibertus legatione apud



**B. Willeic<sup>9</sup>** apud B. Ple-  
 etrudem miraculum  
 patrat. **Willeic<sup>9</sup>** pud Pipinum adhuc viuum fungerentur, **B. Willeicus** Colonia  
 apud B. Ple- etrudem consolationis causa remanens, **B. Plestrudis** effla-  
 gitatu Gothebaldo primario cuidam ciui Coloniensi, acerrima ægri-  
 tudine presso, ita vt deficiente penitus omnium membrorum officio  
 mortuus videretur; ideoq; iusta ei prepararentur post diuinorum ce-  
 lebrationem, subito integram sanitatem restituit.

**B. Plestru-** Porro **B. Plestrudis** post decessum Pipini nisi iure legitimis liberis  
 dis conatus competente, vt animosa Heroïna, **Carolus Martellus** Colonia **A-**  
 pro suis ne- grippinae carceri mancipauit, & **Austrasiae** scepra suo è legitimo  
 potibuseo- filio **Grimoaldo** Nepoti paternis Pipini tabulis nihil obstantibus as-  
 rumq; iure. seruit: Etsi vero **Iustitia** **B. Plestrudi** & legitimæ faueret soboli ac hæ-  
 redi, fortuna tamen melior **Caroli Martelli** causam promouit, quia  
 Procerum quorundam astu & auxilio è custodia elapsus dominatum  
 occupauit, gestisque bellis Imperium & auctoritatem sibi stabiliiuit,  
 infelicioꝝ tamen prima eius expeditio fuit.

Nam **Theobaldus** maior domus Regis Francorum Nepos **B. Plech-**  
 trudis ex filio **Grimoaldo**, vt supra notauimus, tumultu per Franciam  
 excitato, Palatio Regio officioque mox ab aui Pipini, patrisq; **Grimo-**  
 aldi morte, extrusus est, & **Reginfredus** (**Ramanfredus** & **Regino-**  
 fredus alij nuncupant) in dignitatem illius à Proceribus subrogatus,  
 à quibus & in **Austrasianos**, quorum Francis suspecta erat potentia,  
 anno 715. fortiter motum. Exciuerat **Reginfredus** **Ratbodum** **Fri-**  
 sium **Austrasianis** nunquam satis æquum, sociisque illius armis **Rhe-**  
 nanum vsque **Coloniam Agrippinam** vastabat tractum, quem **Bataui**,  
**Cliuenses**, & inferioris **Dioecesis Coloniensis** subditi colunt. Contra  
 quos **Martellus**, Procerum astu & diuino auxilio, vinculis quibus  
 à **B. Plestrude** tenebatur, elapsus, Ducem sese dedit, sed infelicioꝝ  
 cum hoste manus conferens, hoc eodem anno, mense **Martio** magnum,  
 vt est in **Annalibus Francorum**, exercitus damnatum perpeffus fuit.

**Tabellæ** maiores, in quibus sunt Principum **Cliuensium** effigies,  
 & manuscripti Auctores, **Martellum** **Elia** siue **Ælij Cliuensis** operâ  
 carceribus liberatum volunt, eumq; non solum huic contra **Radbo-**  
 dum prælio, verum etiam sequentibus, vel à **Carolo** indictis, vel  
 contra ipsum motis bellis, quoad vixit, scilicet contra **Raginfredum**,  
**Chilpericum** & **Saxones**, **Eudonem**, & **Saracenos** in ordinem redigen-  
 dos, interfuisse. Sed prosequamur nostra.

716. Anno 716. **Carolus Martellus** excelsi animi Princeps, matura suo-



rum conquisitione, delectuq; iterum habito, præcipitis fortuna ca-  
sum, utpote quæ

Martelli  
fœlicitas.

Lucanus.

—*incerta vagatur.*

*Pertq; refertq; vices.*

aspernatus, in Reginfredum denuo Coloniam vsque & per regiones B. Ple&rud  
Rheno contiguas grassantem duxit, eundemq; pecuniâ qua Colo-  
niam Ple&rudis ab ipsius infestatione redemerat, onustum, atque in Coloniâ  
Franciam cogitantem, in itinere ad Amblaiam fudit (est Amblaiâ liberat.  
fluuius pagusq; Malmendarium inter & S. Vitum.

717.

Anno deinde 717. S. Svibertus, omnium virtutum Charismatis  
plenus, ex omnibus animi medullis videndi Deum desiderio flagrans, S. Sviber-  
defunctus est anno ætatis suæ 69. Cal. Martij feria 6. hora 12. qua hora  
Saluator mundi morte sua nos viuificans, ianuam regni cœlestis refe-  
rauit. Morte eius cognita aduolauit in Insulam Ple&rudis cum ali-  
quot Prælati Ecclesiasticis, quibus præsentibus trium generum nar-  
rantur ad eius corpus in medio Ecclesiæ feretro impositum illustra Sviberti  
illie contigisse miracula. Primum Dæmoniâci solo feretri tactu visitat.  
cunetis cernentibus liberati: Alterum cæcæ curati sub ipsis Vigilis De-  
functorum, quæstantibus B. Willibrordo & Ple&trude die Sabbathi  
decantabantur: Tertium furiosi ad deuorum osculum regminis feretri  
proinus sanati. Quibus visis, Marcellinus Vigilias dimissas refert.  
Quod existimarent, ut reor, animam in Beatorum cœleste domicilium  
receptam, ideoq; aliorum suffragio non egere.

B. Ple&rud  
reliquias S.

Sub eundem annum, Dominicâ, inquit Aymonius, die illucescente  
12. Kalend. April (Meierus 13. Kalend. April. Annales Francorum Do-  
minicam ante Pascha habent) Carolus Martellus Regensfredum se-  
cundo cæcidit, fugauit, Parisios vsque profecutus est, & impedimen-  
tis planè omnibus expoliavit, commissum fuit hoc prælium in agro  
Cameracensi apud Viniacum.

Carol. Mar  
tell' insolens  
B. Ple&trudi  
thesauros  
Pipini au-

Anno 718. Carolus Francorum triumphator Agrippinam Coloniam fert.  
recepit, atque B. Ple&trudi nostrâ, è cuius vinculis nuper se expediue-  
rat, erepta simul legitimis Nepotibus successione etiam paternos the-  
sauros extorsit, & Clotharium ibidem Francorum Regem proclama-  
uit. Quæ res Carolum inter & Chilpericum II. atque Regensfredum  
belli restaurati causam dedit: Euocarunt hi Eudonem Aquitanix Du-  
cem, & ingenti infestâq; Francorum & Vasconum manu in Carolum  
iuere, sed quæ semel Francis nouerca facta erat fortuna, oblita incon-  
stantiâ

718.

C



stantiæ suæ fœlicior adrisit Martello. Iterum enim Chilpericum & manus auxiliares cæcidit, fugauitq; tanta quidem strage, vt in sola fuga Regi seruata sit libertas, Eudo, inquit Aimonius, fugiens Parisiosq; reuersus Sequana fluuio transito vsque Aurelianos peruenit, & post Chilpericum Regem cum thesauris Regalibus sublatum vltra Ligerim recessit: & vix euadens terminos Regionis suæ penetravit; Carolus verò eum persecutus non reperit. Iam laudatus Aimonius annum hunc Clothario emortualem facere videtur, sed Annales Francorum ad sequentem, illius decessum referunt,

Eodem anno primam in Saxones à Martello institutam expeditionem, narrat Schaffnaburgensis.

Post annum Domini 718. nulla amplius B. Plectrudis mentio apud Scriptores, nisi quod S. Willibrordus anno 726. in testamento suo meminerit: *Villarum & mancipiorum à Pipino & Matrona sua Plectrude donatorum*, ex quibus tamen certus annus ipsi fatalis non colligitur, Necrologium Capitolinum Coloniae recolendam eius Commemorationem anniuersariam ad diem vndecimum Augusti statuit. Obiisse autem in senectute bona, Manuscripti astruunt, & quidem vita Rithmica in Capitolio Coloniensi hæc habet:

*Verum Plectrudis sub Patribus hæc fuit illis  
Quippe senectute Christo vacat, inq; salute  
Hoc tempus redimit miserorum mater & hæc fit  
Castum sincerum, cor gestans plena dierum  
Hæc humilis mulier, fortis moriturq; cadauer  
Ritè Monasterio proprio sepelitur in isto,  
En exquisitum templum simul arte politum  
Per totum mundum didici vix esse secundum,  
Eleuat intrantes, bene dat resonare tonantes,  
Atque Crucis signum seruitores in vtroque,  
Quodq; Capitolium meritò solet esse vocatum,  
Hoc oleum sudat, miseris veniam cirò præstat.*

**Fons B. Plectrudis Coloniae.** In his leoninis versibus quæ dicuntur de oleo Basilicæ, intelligenda videntur de limpidissimo fonte, quem fundamenta Basilicæ sudant sub tumba B. Iddæ Palatinæ, fons ille in vinaria cella priuatæ domus etiam hodie S. Plectrudis nomen habet.

Hunc sanitatis recuperandæ augendæque deuotionis causa Egri & Peregrini bibunt. Quem cum aliquando mecum in-

uise-



uiferent Illustres & Nobilissimi mei Conuictores, hoc sacro quasi  
Castalidum fonte irrigati, sic occinuerunt:

I.

## IN FONTEM S. PLECTRVDIS.

Miratur vates potius è rigido silice quam hominum pe-  
ctoribus & oculis salutare aquas elici &c.

Heu fera gens hominum! rigido magis aspera saxo!

Syrribus & scopulis plus feritatis habens!

Te debent montes, innataq; rupibus altis

Robora, te seua progenuisse ferae:

Mœsta frequentabat querulo suspiria corde

Plectrudis tepido flumine mersa genae.

Nemo fuit tristis qui carperet aure querelas,

Nemo quem possent fletere flentis aquae.

O Pudor! irriguo mollescunt saxa liquore

Nec tamen his hominum corda mouentur aquae!

Herrida luctifera manantem fluminis umbrem

Saxa receperunt non reuente sinu.

Non fuit humana quidquam fabricabile dextra

Quod fontem caperet proficientis aquae.

Effusas ergo lacrymas Plectrudis ocellis

Mitior asseruat mobiliorq; lapis.

Prodigiosa sacros hinc sudant saxa liquores

Proficuaq; silix sponte propinat aquas.

Has & Agrippinas, bibit has Peregrinus, & Eger

Accedit, potu flumine, sanus abii.

At quicumq; sacros auido bibis ore liquores

Quiq; salutifero flumine membra lauas,

Corpore te sanas; lacrymas sed ab ore cadentes

(Vt sanes animam) dum bibis ABDE TVAS.

PHILIPPVS LYDOVICVS Baro in  
Neiffenberg Metropolitanorum Mo-  
guntiae ac Treuirensis Nec non S. Alba-  
ni & B.M.V. respectiue, Praepositus &  
Canonicus.

C 1

ILSe



## II.

Socium Admiratione rei prodigiosæ defixum alloquitur.

Quid dubitas? celeriq; stupes quasi fulmine tactus?  
 Saxa quod irriguo mortua fonte fluant?  
 In promptu causa est. hominum quod lumina flumen  
 Fundere debuerant, dat pius inde lapis.  
 Scilicet effusus est lamentanda querelis.  
 Impia barbaries lethiferumq; scelus.  
 Riserat innocuam Pellex scelera a furensq;  
 Plectrudem saeva succubuisse neci;  
 Nemo barbariem fleuit Plectrudis acerbas  
 Nemo vices luxit: quin fleat ergo lapis?

P. HILIPPVS à Cronenberg ita  
 Cronenberg.

## III.

Coelum terrestre S. Plectrudis sepulchrum salubres vndas depluit.

Natalis è saxo nitidus argentea guttis  
 Manat in obscurum defluis lymphæ locum:  
 Natura tendunt contraria legibus ergo  
 Omnia, nec rerum qui fuit ordo, manet?  
 Vt fluat arenæ de saxo limpidus humor  
 Qui queat infirmi corporis esse salus?  
 Quem neq; terra ferax gremio omnipotente profundæ  
 Quem neq; nube pluit multicolore polus?  
 Fallor: nam tot vbi factis illustre sepulchrum  
 Plectrudis radiat, quis neget esse polus?

FERDINANDVS. MAXIMILIANVS  
 à Weix.

Sepulchrū  
 B. Plectru-  
 dis.

Ipsa autem Sanctissima matrona plurimis in & extra Basilicam  
 suam monumentis colitur, inter quæ præcipuum in Ecclesiæ nauī  
 Mausoleum in quo sacra eius ossa spectantur & à deuoto populo hō-  
 norantur:

e211

Hæc



Hæc quæ subijcio ex veteri manuscripto codice Archiui Capitoli-  
ni excerpta.

COMPENDIUM VITÆ B.  
PLECTRUDIS ex Mscō Capitoli-  
Coloniensis.

**P**IPINVS Filius Ansigisi Maior domus regnante Theodorico Rege Nobilem &  
prudētissimam duxit Vxorem nomine Plectrudem; genuitq; ex ea duos  
nomen senioris Drogo nomen iunioris Grimoaldus, mortuo autē Theodorico & succe-  
dente fratre eius Hildeberto, Drogo à Patre diligenter eruditus & educatus ducatum  
Capania accepit, Grimoaldus iunior ab Hildeberto maior domus valatij super Frā-  
cos electus est.

Fuitq; vir mitissimus & māsuetudine repletus largus in eleemosynis, & in oratio-  
nibus promptus Postea Pipinus contra Radbodonem gentilem Frisonum Ducem di-  
micans eum fugauit, & victor existens cum spolijs & multa prada reuersus est. Dro-  
go senior filius Pipini à valida Febri correptus moritur, & sepelitur in Metensi vrbe  
in Basilica S. Arnulphi Confessoris, Grimoaldus autem ex Concubina genuit fi-  
lium nomine Titebaldum.

Nota, Erudite Lector, concubina vocabulo hic conthoralem  
seu vxorem significari; sanctus enim Martyr Grimoaldus legitimo  
thori vinculo sibi iunxerat Theusuindam Pristinam, ex qua Theobal-  
dum Maiorem Domus excitauit, vti pagina 15. dicturum me promisi,  
quod pagina tertia in genealogica arbore huius nomen, non repræ-  
sentauerim, angustia pagellæ fecit, sicut & ea propter nonnulla nomi-  
na aliorum descendētium ex stirpibus Beatorum Pipini Landensis  
& Arnulphi ex Principe Episcopi Mediomatricum, omisi. D. Miræus  
in Donationibus Belgicis pag. 354. Grimoaldum ait sine liberis obiisse,  
sed in Notitia Ecclesiarum Belgij pag 30. corrigit se, & hunc Theo-  
baldum B. Grimoaldi filium agnoscit.

Pipinus posthabita prefata Plectrude, aliam duxit vxorem Alpaidam,  
ex qua genuit filium nomine Carolum, Plectrudis verò cum infinitis thesauris  
Coloniam secessit, & monasterium ibidem infra muros ipsius vrbis quod dicitur  
puellarum in honore Sanctæ Mariæ honorificè edificauit, quod prædijs & the-  
sauris



*sauris strenuè ampliavit. Grimoaldus verò prædicti Radbodonis Frisonum Ducis filiam duxit uxorem: Præterea Pipinus in Ioppilia villa super Mosam sita egrotare cœpit, & ad se visitandum inuitavit Grimoaldum. Qui adueniens ciuitatem Leodium & Basilicam S. Lamberti Martyris intrauit, & ibi ante Sanctum ipsius corpus se in orationem prostravit cumq̃, orationem ex deuotione, & desiderio proreudisset à crudelissimo & impio viro Raingario in ipsa oratione interfectus est. Titebaldus filius eius paruulus loco eius Maior domus succedit. Insecuto quoq̃, tempore idem Pipinus Dux moritur, & in Capræ monte sepelitur: Reliquit superstitem filium Carolum ex Alpaheida. Post obitum eius Plectrudis præfata matrona consilio suo atq̃, regimine cuncta gerebat, quæ etiam sub iisdem diebus Carolum priuignum per multos dies Colonia sub custodia habuit, sed postea auxilio Dei liberatus est: Chipericus post hæc & Raginfredus adunata hostili plebe Arduennam syluam transeunt, ab alia parte præstolante Radbodone cum exercitu suo: Inde ad Coloniam Urbem super Rhenum fluium peruenerunt, regiones illas pariter deuastantes, sed munera multa & Thesauros à præfata Plectrude accipientes Coloniam intactam relinquentes reuersi sunt. Quos Carolus persecutus vsq̃, Parisios properauit, & eos in fugam conuertit: Deinde Coloniam reuersus ipsam Ciuitatem cœpit, & præfata Plectrudis reueratos Patris sui thesauros sibi restituit, Ipse quoq̃, cuncta dominio suo subiecit. At verò Plectrudis plena operibus bonis & elemosynis Deo seruiens in castitate & humilitate perfecta plena dierum in eadem vrbe obiit, & in monasterio suo sepeliri voluit:*

DELINEARE MONVMENTA IN HONOREM S. PLECTRVDIS à Maioribus nostris erecta & huic lucubratiunculæ ea subtexere pretium operæ fuisset, sed quod numeto plura spassim occurrant, in eorum locum substituo carmina quæ Illustres & Generosissimi Domini FERDINANDVS & GEORGIVS LVDOVICVS Comites de SCHWARTZENBERGH pro gratiosa sua in me Authorem propensione in Diuam illiusque sacrum Capitolium luserunt.

### In sacrum Vbiorum Capitolium.

*Hic vbi nunc cernis' Capitolia structa viator,  
Aula fuit Ducibus, Principibusq̃, Domus.*

*Aula*



Aula fuit; sed magnifico iam regia luxu  
 Inscribi titulo conueniente potest.  
 Non cuius tectum radiante refulgeat auro  
 Aut latus argento vestibulumq; micet;  
 Sed gazis opulenta sacris & splendida Diua  
 Plectrudis meritis reliquissq; potens.  
 Cadant belligerum capitolia celsa Quiritum  
 Incasto quondam templa dicata Ioui  
 Hic sacra supremi Capitolia cerne Tonantis,  
 Non nisi virgineis templa sacrata choris.  
 Illa Triumphali veteres subiere quadrigâ  
 Hostis vbi fausto Marte subactus erat.  
 Ex His Angelicis Plectrudis vecta quadrigis  
 AEthera transcendit caeluumq; domos.

## EPITAPHIVM S. PLECTRVDIS.

Nemo me lachrymis decoret, nec funera fletu  
 Faxit, aethereo Viuo Beata polo.  
 Pro lacrymis totum tumulis inspergite Maium;  
 Sint thyma Narcissis, lilia mixta rosis.  
 Plectite florigeras PLECTRVDI templa coronas:  
 Cui mera dat caelum gaudia, Terra neget?

## SEPVLCHRVM EIVS GLORIOSVM ERIT.

Hic sita Boiugenum PLECTRVDIS sanguis Auorum,  
 Magna Palatino stemmate, Magna thoro.  
 Magna Drogone Parens, Grimoaldo Martyre Maior,  
 Alpaidisq; odio Maxima facta Polo.  
 Magna Patrocinio Lamberti Praesulis, inq;  
 Curriculo vite, Martyrioq; fuit.  
 Magna Marlanum condens, Capitolia Templum:  
 Magnaq; Virginei Claustra locando chori.  
 Nomina sunt magna haec: par gloria magna coruscas  
 Celica, qua Magno digna fuere DEO.  
 Si Carolus magnis dicatur Magnus ab actis:  
 PLECTRVDIS dici Maxima iure potest.

APPEN-



## Appendix

Placet hic Alpaidis pœnitentiam bonorum virorum auctoritatibus confirmatam subijcere

R. D. AVBERTVS *Mirans in Annalibus Belgicis:*

Alpais postea Orpij in Gallo-Brabantia pœnitens monasterium struxit in eoque veteris vitæ dilecta eluit, & Hugardiense Canoniorum Collegium fundavit

ARNOLDI *de Raiffe Duacensis auctarium SS. Belgij ad 17. Septemb.*

De Alpaide pœnitente.

EX RICHARDO *Wassenburgo in suis Gallia: Belgie antiquitatibus.*

Orpij in Gallo-Brabantia depositio Alpaidis pœnitentis: Hæc Pipini de Herstallo primum pellex, post S. Lamberti Episcopi mortem perpetrata, cuius ipsa causa extiterat, cum videret omnes iniquæ cædis socios misere intra annum vitam finisse, ad cor rediens diuina aspirante gratia oculos aperuit & facinus admissum multis lachrymis expiare satagit: quam obrem mundi vanitate posthabita, vt proteruæ libidinis æstus perpetui asperitate claustræ compentaret, proprio sumptu monasterium à Fundamentis extrui curavit, in vico Orpio, collectoq; magno virginum catu è Niugellensi castro accitarum, illud subintravit, in quo ad extremam summæ vitæ diem tanquam eximium pœnitentiæ exemplar & speculum permansit: Huius bonæ mulieris tumulus, & ossa annis superioribus fuere detecta.

Ceterum Orpium est insigne Gallo-Brantiæ municipium in diocesi Namurcensi secundo à Tillæ Montium oppido situm.







CLYPEVS SWIBERTINVS,  
IACVLA, QUÆ IN SCRIPTOREM  
Vitæ S. Sviberti contorquen-  
tur, auertens.



PLECHTRVDIS Vita & Res gestæ, Bene-  
uole Lector, maximam partem ex Vita pe-  
tuntur S. Sviberti. Quare ne S. Plechtru-  
di publico datæ litæ quis moueat, ob S.  
Sviberti Vitæ Authorem B. Marcellinum,  
quasi hic sit supposititius, eum à quorun-  
dam impugnationibus in præsentî iudicauî vindicandum.  
S. Sviberti, inquam, non Antistitis Verdenfis, à Carolo  
Magno primùm illigenti præfecti, sed alterius ætate prioris,  
atque in Cæsaris-Insula Rheno incumbente tumulati,  
perq; Leonem III. Papam prima solemnî Canoniz atione  
in Sanctorum relati numerum. Quod si vtrumque affecu-  
tus fuero, est quod tibi, Beneuole Lector, gra-  
tuleris, Tu ijs vttere & vale.

\* \* \*

A

PRO



PRO HISTORIA B. MARCELLINI  
PRESBYTERI DE S. SWIBERTO  
modesta Responſio, aduerſus Dubia à R. P. Iacobo  
Gretſero Soc. Ieſu Theologo mota.

**P**lacobus Gretſerus Societatis Ieſu excellens Theologus, vt S. Richardo regium ſtabiliat titulum, in *Obſervationibus ad vitam eius cap. 7.* bene demonſtrat, quanti facienda ſit Eccleſiarum traditio, præſertim ab Historico, cuius non tantum eſt aduertere, quid Veteres ſcriptum reliquerint, ſed & quid abſque ſcripto tradiderint, cuius traditionis neglectus viros quoque doctos à recto tramite nonnunquam abripuit. Ita quidem ipſe, & veriſſimè. Quo eodem argumento ſe ipſe conficit, quando B. Marcellini librum de vita S. Swiberti tanquam ſpurium condemnat; cum tamen hucusque ex traditione Maiorum noſtrorum, Rixfridi Ultraieſtini Epilcopi in ſuis ad S. Ludgerum I. Mimigardeniſium Antiltitem, atque aliorum, non vnius ſed plurium iam ſæculorum, adeoq; ex certiffima traditione, in Eccleſia verè Catholica, B. Marcellini nomen prætulèrit, & ab omnibus approbatione Eminentiffimi Cardinalis Baronij, Bozij, aliorumq; Eccleſiæ Catholice luminum, tanquam genuinus B. Marcellini factus exiſtimatus ſit. Quin & archiuorum tabulæ, publica authoritate confectæ comprobant illum ipſum à B. Marcellino fuiſſe conſcriptum. Ita verò docent tabulæ.

Traditio ec-  
cleſiarū ma-  
gni faciēda

Traditio  
de historia  
S. Swiberti

Traditionē  
hanc Docti  
approbant.

Traditio  
hæc demō-  
ſtratur ex  
archiuo.

INSTRUMENTVM DE VITA  
& Canonizatione S. Swiberti Patroni in  
Käyſerſwerde.

1478. **I**N nomine Domini Amen. Anno à Natiuitate eiufdem Domini milleſimo qua-  
dringenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, Indictione quinta, menſis Octobris die vice-  
ſima quarta, hora prima: vel quaſi Pontificatus ſanctiffimi in Chriſto Patris &  
Domini Sixti diuina prouidentia Pape IV. anno ſuo primo, in mei Notarij publici  
ac vener. & honorab. Virorum Dominorum Magiſtrorum Heinrici de Ethen /  
De-



Decani & Curati, Florentij, Florentij Rothardi, Bartholomai, & Iohannis VVol-  
fandi Canonorum Ecclesie Collegiate & Parochialis SS. Martini & Vincentij  
oppidi Gorinchemensis partium Hollandie Traiectensis Dyoces. & testium infra-  
scriptorum presentia personaliter propter hoc constitutus honestus & discretus vir  
Dominus Theodoricus Pauli Presbyter & Notarius, Vicedecanus siue senior Canoni-  
cus Ecclesie Collegiate & Parochialis BB. Martini & Vincentij predicta, habens &  
tenens in manibus suis quendam librum papireum, quem multis instantiis posita fir-  
ma cautione remittendi mediante honorabili & Religioso viro Domino & fratre  
Arnoldo, filio Zigeri, fratre Conuentuali Monasterij S. Bonifacij Episcopi & Martyris  
in Dochem partium Frisie obtinuit, prout bona fide & in verbo Religioso asseruit,  
Qui quidem liber in plerisque locis & solis ruinam, fracturam, & scissuras passus  
fuit, propter nimiam vt videbatur eiusdem libri vetustatem, & vt fertur, seu ve-  
rius ferebatur conscriptus & compilatus fuit à S. Marcellino Presbytero & Con-  
fessore ac egregio Prædicatore prophana Frisonica gentis, editus de vita sanctissimi  
& Apostolici Episcopi & Confessoris Zvviberti: quem mihi ad manus obtulit re-  
uerenterq; ab ipso recipiens tenensq; manibus meis aperui, & inter cetera scriptum  
distinctè reperi in capite præfati libri pro titulo magnis literis: Liber S. Marcelli-  
ni Presbyteri & Confessoris de vita S. Zvviberti gloriosi Episcopi &  
Confessoris, egregijq; Prædicatoris gentilium per eundem S. Marcel-  
linum propria manu conscriptus. Infrãq; scripta parum distans scriptum erat  
distinctè etiam magnis antiquis literis: Ex Monasterio Dokem ex Frisia O-  
rientali, inde perlegens per quatuor continuos dies vitam eiusdem S. Zvviberti E-  
piscopi scriptum reperi in principio: Prologus Marcellini inutilis Presbyteri  
in vitam sanctissimi Zvviberti tactatissimi Episcopi & Confessoris,  
Venerabili & dilecto in Christo Domino & Patri, Domino Grego-  
rio S. Traiectensis Ecclesie Episcopo & Frisonica gentis Prædicato-  
ri eximio Marcellinus Presbyter gentilium Prædicator inutilis, &c.  
Quo finito incipiebat Capitulum de nobilitate parentum S. Zvviberti, atque præsa-  
gio natiuitatis eius, quod sic incipiebat: Tempore enim quo sanctissimus Martinus Pa-  
pa & Martyr in Apostolica Sede, &c. Tertium de pueritia eius, & incipiebat sic:  
Itaque S. Zvvibertus puer. Quartum vt Monasterium intrauerit, sic incipiens:  
Et quia cotidie de virtute &c. \* Quintum vt reuocatus à Monasterio per S. Egbertum \* Quartum  
Archiepiscopum factus sit Canonicus Eboracensis Ecclesie, sic incipiens: Igitur post-  
quam in eodem Monasterio. Sextum vt SS. VVilfridus Episcopus & VVigbertus  
Presbyter primitus per Frisiam & inferiorem Saxoniam Christum prædicauerint,  
sic incipiens: Itaque anno ab Incarnatione Dominica sexcentesimo \* octuagesimo se- \* septuagesimo  
ptimo: Septimum, vt SS. VVilbrordus & Zvvibertus cum reliquis decem Presby-  
teris



*tertio ad Germaniam missi predicauerint ipsis fidem Christi sic incipiens: Attamen  
 magnificus Praesul. Octauum de martyrio S. VVigberti & constructione S. Traie-  
 tensis Ecclesie, sic incipiens: Morabatur autem perfidus Rabbodo, &c. Nonum  
 et S. Zvvibertus in carceratus ab Angelo fuit liberatus, sic incipiens: Deinde profati  
 Sacerdotes. Decimum, ut vicum Dagenstem ad Christum conuerterit S. Zvvib-  
 ertus, sic incipiens: Secessit deinde in diuersis vicis. Vndecimum, ut SS Zvvibertus  
 & VVillibrordus Episcopi consecrabantur, sic incipiens: Denique crescente cotidie  
 numero. Duodecimum, ut S. Zvvibertus Episcopus comitatum Tjsterbandia con-  
 uerterit, sic incipiens: Igitur sanctissimus Zvvibertus Decimum tertium, ut S. Zvvib-  
 ertus quendam submersum à morte suscitauerit, & vicum Duerffati conuerterit  
 ad fidem Christi, sic incipiens: Cum verò mirificauit Dominus sanctum, &c.  
 Decimum quartum, ut S. VVillibrordus à Roma rediens cum S. Zvviberto per Fri-  
 siam predicauerit, sic incipiens: Itaque anno à Natiuitate Domini sexcentesimo no-  
 nagesimo septimo. Decimum quintum, ut Sancti confocij & conpresbyteri SS. VVil-  
 brordi & Svuiberti in diuersas provincias missi Christum predicauerint, sic inci-  
 pions: Dein animaduertens. Decimum sextum, ut S. Svuibertus in VVestphalia  
 mulierem paralyticam sanauerit, & populum conuerterit, sic incipiens: Itaque sacer-  
 rimus Pontifex. Decimum septimum, ut S. Svuibertus Episcopus in Byliuelda  
 quendam à peste Squinancia sanauerit, sic incipiens: Erat autem in Biliuelda.  
 \* Rediens ve- Decimum octauum, ut quendam caecum illuminauerit, sic incipiens: \* Mémigardum.  
 rd Minimi- dum. Decimum nonum, ut in Bruynswolc quendam paralyticum signo Crucis  
 gardum. sanauerit, sic incipiens: Postquam igitur cum suis. Vice simum, ut Boructuariorum  
 magnam partem ad fidem perduxerit Christi, sic incipiens: Cumq; ad Boructuarios.  
 Vice simum primum, ut quendam demoniacum liberauerit, & cum multis bap-  
 zauerit, sic incipiens: Erat autem eodem tempore. Vice simum secundum, de vir-  
 tutibus & conuersatione S. Svuiberti Episcopi, sic incipiens: Et licet Boructuarij.  
 Vice simum tertium, ut S. Svuibertus Coloniã veniens à felice Principissa Plectru-  
 de honorificè susceptus, duobus miraculis coram ea claruit, sic incipiens: Et licet dia-  
 bolus. Vice simum quartum, ut S. Svuibertus à Pipino VVerdam impetrans, ibi-  
 dem Monasterium construxerit, sic incipiens: Igitur felix Plectrudis Vice simum  
 quincum, ut quendam in VVerdam à morte suscitauerit, sic incipiens: Anno verò  
 Dominice Incarnationis septingentesimo vndecimo. Vice simum sextum, ut S. Zvvib-  
 ertus multos gentilium conuerterit, & Monasterium instituerit in VVerda, sic in-  
 cipiens: Sanctus verò Zvvibertus. Vice simum septimum, de vita S. VVilleici Con-  
 fessoris Presbyteri S. Zvviberti, & de miraculis per ipsum à Deo perpetratis in Colo-  
 nia, sic incipiens: Sanctus VVilleicus. Vice simum octauum, de obitu S. Zvviberti  
 Episcopi, sic incipiens: Redeuntibus à Ioppilia. Vice simum nonum, de sepultura eius  
 ac miraculis aliquibus à Deo per ipsum factis, sic incipiens: Tandem sanctissimum*



corpus. \*Tricesimum de miraculis S. Zyviberti Episcopi VVerdensis & Confessoris. Verum quia ego Marcellinus.

Acta fuerunt hac in Sanctuario Ecclesia Gorinchemensis prefata sub Missarum solemnibus, sub anno, Indictione, mense, dieb. hora, & Pontificatu quibus supra, presentibus ibidem venerabilibus, honestis atque discretis viris Dominis Decano & Canonicis Capitularibus prescriptis, ac Gerardo Martini matriculato prefata Ecclesia, Adriano Iohannis Clerici Traiectensis Diocesis, & Theodorico Bolt filio Geronci oppidano Gorinchem. testibus ad premissa vocatis specialiter & rogatis.

DEINDE VERO ANNO DOMINI Millesimo quadringentesimo septuagesimo tertio, Indictione sexta, mensis Februarij die prima, hora Primarum vel quasi Pontificatus eiusdem, Idem Dominus Theodoricus Pauli in presentia infra scriptorum ad hoc vocatorum & rogatorum, obtulit mihi Notario infra scripto & alium quendam papireum librum, scilicet aque annosum, etiam in multis foliis scissum, in quo habebatur inter ceteras Legendas Canonizatio S. Zyviberti diffusa per aliquot certa Capitula. Quorum Capitulorum in Prologo primum sic incipiebat: Dilecto Patri & Confratri Ludgero. Responso ad predicta sic incipiebat: Venerabili Confratri & Gentilium Predicatori. Tertium, ut Pippinus filius Caroli Martelli in VVerda construxit castrum, & S. Zyvibertus ipsum cum exercitu Christianorum contra Paganos protexerit, sic incipiens: Igitur anno Dominica Incarnationis tricesimo tertio post celebrem transitum sanctissimi Zyviberti. Quartum, ut S. Zyvibertus illustrem Principem Hannaldum a peste Squinancia & periculo mortis cum multis aliis liberauerit, sic incipiens: Dein anno a Natiuitate Domini septingentesimo quinquagesimo quinto. Serenissimus Pippinus. Quintum, de prima eleuatione corporis S. Zyviberti gloriosi Episcopi, sic incipiens: Eodem anno S. Stephanus Papa illius nominis secundus. Sextum, de crudelitate Saxonum, concrematione Ecclesie S. Zyviberti, & destructione oppidi VVerdensis, sic incipiens: Postremo imperante Karolo. Septimum, ut male perijt, qui Ecclesiam S. Zyviberti primus incenderat, sic incipiens: Erat autem in eodem flagitioso exercitu. Octauum, ut duo satrapa Saxonum plagati a Deo, iterum meritis S. Zyviberti pristina restituti sanitati fuerint, sic incipiens: Nec hoc sufficiebat Deo. Nonum, de quodam Saxone lethaliter vulnerato in bello, meritis S. Zyviberti sanato, sic incipiens: Postremo anno Dominica Incarnationis septingentesimo octuagesimo tertio. Decimum, ut S. Zyvibertus solemniter a S. Leone Papa canonizatus fuerit, & SS. Confessorum cathalogo sociatus, sic incipiens: Postremo Dominica Incarnationis anno septingentesimo nonagesimo sexto. Undecimum, de miraculis eius. Super quibus omnibus & singulis, idem sapeditus Dominus Theodoricus Pauli, ad maiorem fidei corroboracionem, quia de eadem historia S. Zyviberti Episcopi VVerdensis, quam ex eodem libro S. Marcellini transcripserat, ut bona fide asseruit, nihil addendo vel

\* Hucusq; conuenit cum vita edita, que deinde plura Capitula habet, forte sub huius Capituli inscriptione complexa.

Attestatio de altero libro de Canonizatione S. Zyviberti



minuendo, sed de verbo ad verbum, sicut conscripta erat, conscripserat, quam in vico Verde Imperialis, in quo sanctum Corpus S. Zyviberti, ut fertur, pausat, ad instantiam vnius venerabilis Canonici mittere intendebat, petijt à me Notario publico infra scripto, tanquam à publica & authentica persona, sibi confici atque tradi vnum vel plura publica Instrumenta, mittendum vel mittenda vener. ac honorabilib. viris Dominis Decano & Capitulo S. Zyviberti in Verde praescripta, instanterq; petijt, ut ad gloriam Dei & laudem S. Zyviberti, titulum qualitatis & conditionum mearum, non propter elationem, sed ad maiorem fidei corroboracionem, cum scriberem, inserere vellem. Acta fuerunt hac in praefato Sanctuario Gorinchemensi, sub anno, Indictione, mense, dieb. hor. & Pontificatu, quibus supra, praesentibus ibidem Petro V Vilhelmi Clerico Traiectens Dioces. Theoderico V Vilhelmi & Ioanne Iacobi laicis oppidanis Gorinchemens, testibus fide dignis ad praemissa vocatis specialiter & rogatis.

Et ego Nicolaus Claeuwart de Heckelem Clericus Traiectens, Dyocesi. Medicinarum Doctor Consiliarius & physicus Illustrissimi Principis & Domini mei Metuendissimi Domini Ducis Burgundiae, Lotharingae, Brabant. &c. Nec non sacris Apostolicæ & Imperiali auctoritatibus Notarius publicus: Cum honestum, sanctum & laudabile sit, veritati testimonium perhibere, & praemissa omnia singula sic se habeant & acta sunt ut conscripta, & sic scripta prout acta, & eisdem quo supra modo vna cum praenominatis testibus interfui, eaque sic facta & fieri vidi & audiui. Ideo hoc praesens publicum instrumentum manu mea propria scriptum exinde confeci, publicavi & in hanc publicam formam redegi, signoque & nomine meis solitis & consuetis subscripsi & signavi, ac sigillo meo in rubea cera ad gloriam Dei laudemque Sancti Swiberti Episcopi & Confessoris, supradicti appendendo muniui. In fidem & testimonium omnium & singulorum praemissorum requisitus & rogatus. Item rasuras & correctiones hac eadem mea manu superius non vitio sed errore factas approbo & illius dubium hac eadem mea manu hic scripta & subscripta deleo.

✠ **Locus Signi Notarialis.**

Sign. Notarij tale est: inferius quasi Corona, vel potius sicut in torque aurei Velleris, chalybs igniarius repraesentatur, cui inscriptum nomē Claeuwart; superius corpminebat cū infixis clavis & signo crucis, supra alterā crucē decussatā.



Hæc Sigilli descriptio: ex silico serico in rubea cera tres ferula coronis insignita quibus aperta super imminet galea cū duabus alis exhibentibus inscriptionem nominis Notarij.



Ex his tabulis, ante duo ferè sæcula scriptis, diligenter obseruandum est: quod libellum à S. Marcellino relictum, eiusq; characterem, inculcent fuisse ex vetustate fugientem, & ut ipsis utar verbis, *in plerisque locis & foliis ruinam, fracturam, & scissuras passum, propter nimiam, ut videbatur, eiusdem libri vetustatem*: atque, ut in fine instrumenti Notarius fatetur: *Rasuras & Correctiones* quasdam ipse fecit. Vnde tamen colligitur, aliquot ipsum sæculis antè scripto fuisse consignatum. Immo eadem tabulæ significant, librum, ex antiquitatis traditione, fuisse ab ipso S. Marcellino conscriptum. Quare non facilè libellus ille falsitatis erat arguendus; nec illius auctoritatem eluant R. P. Gretseri argumenta. Quorum prius desumptum est ex quorundam vocabulorum nouitate; posterius extemporum & rerum gestarum dissonantia. Nam quod ad prius, Respondeo, aliud esse vocabula tunc non extitisse, & aliud necdum omnino innotuisse. Nego vocabula à S. Marcellino allata tunc non extitisse, atque aliquot sæculis post demum fuisse nata; concedo, non fuisse tunc ita omnibus nota, præsertim nobis, cum nos æuam illud veluti à longè & ex obscuro intueamur.

Antiquitas  
historiæ S.  
Sviberri.

Obiicitur inter cætera nomen BRABANTIÆ, tanquam nouum; sed æquus Lector inspiciat & examinet, quam D. Miræus in lucem emisit, Belgij Notitiam, deprehendet ex capite 23. iam anno 770. ipsius prouinciæ Brabantiæ nomen innotuisse; illius enim in Diplomate suo Karolus Magnus Francorum & Longobardorum Rex meminit, cum *Filuordum* ad Sennæ & Voluulæ confluentes oppidum, in *Brabando* situm ait.

Multa anti-  
qua voca-  
bula nō sta-  
tim cognita

Quin & in eodem D. Miræi libro cap. 35. iam sub Carolo Caluo Flandriæ FLANDRENSIS pagi, id est, territorij, fit mentio. Vnde dudum tunc nomina locis illis imposita esse concludo.

LOTHARINGIÆ nomen sub annum prius 870. Austrasiæ regno attributum pernego, coniecturas aliorum de Tulingia, Turingia, vel Turonia, quasi hæc sibi initio Lotharingia usurpauerit, adiecto fortè lo barbaro articulo, tanquam improbabilis cum Cluuerio in antiqua sua Germania reijcio, quod Tulingi Heluetijs & Latobrigis, teste Cæsare, fuerint vicini, Turingi verò ad fluuium Vnstratum confederint, vnde nihil ad rem nostram faciunt.

De Turonibus videatur & idem Cluuerius. Ego Lotharingiæ nomen assero, iam sexto sæculo natum à Lothario, vel, ut Franci Scrip-  
ptores thario,

Lotharin-  
giæ anti-  
quitas.  
Lo-Thulin-  
giæ & Lo-  
turonix  
figmentum

Clotharin-  
giæ à Clo-  
ptores thario,



Lotharingia  
vltatiffimū  
nomē à Lothario  
Caroli M.  
Nepote.

ptores habent, Clothario II. defuncto sub annum 631. qui viuis imperio suo Austrasiæ & Burgundiæ regna adiecit, ideoq; Austrasiæ suum indidit nomen, licet hoc non adeo firmiter sub ipsa initia plaga illi inhæserit, quin aliud Austrasiæ quoque & quidem frequentius usurpatum fuerit, vnde nec ita notum, posterioribus tamen temporibus & sæculis obsoleto Austrasiæ nomine, Lotharingia deinceps, à Lothario Caroli M. Nepote fuit nuncupata. Idem hoc tempore multis accidit locis. Et ne longius abeam, nunquid Philippoburgum vocatur etiamnum *Boenheim*? atque S. Stephani munitio, quæ haud prope Bonnâ abfuit superioribus annis excitata, nunquid etiam hodie indigitatur nomine *Wassenmûs*.

Alia complura eam in rem adducere, sed cum mediocriter in historijs versato, hæc sint quam notissima, ideo prætereo. Eadem ferè reliquorum vocabulorum est ratio.

Britanniæ  
antiquitas.

Nam BRITANNIAM ab Engisto Rege Angliam vocitatum probabile videtur, cum maioribus Saxonibus Britanniam ingressis, fuerint misti Angli, vt testis est locupletissimus Venerabilis Beda *lib. 5. hist. c. 10.* & Fabricius *orig. Sax. lib. 1. tit. de Saxonum in Germania rebus gestis*: licet nomen Angliæ id temporis non ita frequentatum & celebre fuerit.

Westphaliæ  
antiquitas.

Idem de WESTVALIA censendum tradit *cit. loc.* Fabricius circa annum 524. *Ditio*, inquit, *Saxonum eo tempore inter Visurgim & Aldim fuit, & hi, quod ad Orientem habitarent, Osto Saxones seu Ostuali dicebantur, nam qui trans Visurgim incoluerunt, Westouali in hunc diem dicuntur, quia Occidentem versus habitant, &c.*

Brunsvici  
antiquitas.

*Brunsvic* quoque à Brunone Widekindi M. fratre appellatum existimo, quamuis posterioribus temporibus à Brunone Widekindi abnepote BRUNSVICVM oppidum cœperit ædificari, cum ante esset pagus *Wic* nuncupatus, vt tradunt omnes, Brunonis autem vicus etiam tunc nominatus, quod illum ipse possideret acteneret. Nisi quis fortè dixerit, errore calami *Brunsvic* pro *Wardvic* antiquissimo Saxoniz oppido expressum esse.

Monasterij  
Mimigardenortensis  
antiquitas.

Similiter Monasterium, ciuitas licet necdum eo tempore esset ædificata, tamen Monasterium seu cœtus religiosus illic iam erat exciatus, & locus illi adiacens Mimigardenorte.

Ex dictis igitur concludo, Vitz S. Svibertii Authorem B. Marcellinum minimè esse supposititium, quod vocabulis inditis & natis, non tamen ita notis fuerit vsus.

Vti-



Vtile fuerit hoc loco notare quod inter R. P. Georgij Garnesfelt ms. inuenio obseruatum, videlicet Marcellini Scriptis, fuisse recentioris aui vocabula ad marginē interpretationis gratia adiecta ab Scholiaste, deinde in textū illata fuisse, quomodo S. Hieronymus quaedā peregrina vocabula solet in Evangelijs interpretari, vt referens Christum dixisse: *Epheta*; hoc est adaperire, non enim Christus dixit *hoc est adaperire* post alterā vocem prolatā; vnde idem Pater nouitias voces parenthesi distinxit in vita S. Svibertij edita & à se relecta, & hac ratione omnis illa P. Gretseri haesitatio tollitur: Et id maxime libuit dicere ob duo proxima vocabula Brunsvick & Monasteriū: quorum posterius certissime est recentioris aui, prius autē etiā est recentioris cui si accipitur pro celebri illa vrbe quæ est caput Brūsiuensis Ducatus: Ego vero pro illa nequaquā arbitror capi debere, quā opinionem cōfirmat quod neq; vestigium extat quo S. Svibertū Visurgim trāsijisse probetur. Fuerit vero cis visurgim circa Angariam & Marchiā aliquis Comitatus, vel ditio, quæ à Brunone Dño suo ad tempus vitæ passim appellabatur, more tunc solenni, vt in numeris patet exemplis archiuorum.

Vtinam mihi ipsum licuisset inspicere authographum, de quo tabulæ ex archiuo Casaris-Insulano supra recitatae testantur, facile litteram omnem deciderem. Sed pergamus: Nec veritati historię officit, quod Ebertum Eboracensium, Plechelmum S. Svibertij comitem candidæ Casæ vel Massæ Episcopos asserat, cum tamen S. Svibertum circa annū 717 (nostra æra 715.) fateatur defunctū, & aliū de cōstet, ab obitu S. Svibertij B. Plechelmū candidæ Casæ sub annū 723. & Eboracensibus sub annū 735. fuisse datos Antistites. Facilis enim omnino Responsio: B. Marcellinus, qui multis ab obitu S. Svibertij vixit annis, descripsit singulas personas, quales ipse iam scripturus suo tempore, non verò vt ante, nouerat; quamuis Ebertum Harbsfeldius & alij putauerint Abbatem. Scripsit autem B. Marcellinus, teste Pitheo, de Scriptoribus Angliæ, circa annum 761. Quod Wironem scribat **B. VViro.** DEIRORVM Episcopum, non est quod impugnetur, quia DEIRORVM Regum ditio ad Ortum montibus & mari Germanico, ab Occasu Scotico vel Hybernico claudebatur Oceano, (vt testis est Camdenus in sua Britannia, vbi de Brigantibus agit) latius olim complexu suo ad Ortum coërcebat Eboracensem Archiepiscopatum & Episcopatum Dunelmensem, cis Tinam fluium: Ultra verò versus Occidentem, Episcopatum Landt-Castrensem, VVestmorlandiam, & Cumberlandiam. Nihil igitur mirum, si S. VViro, qui Hybernis vel

Ebertus  
Ebor. cōstet  
& Plechel-  
mus Casæ  
candidæ  
Episcopi

B. VViro.

B

Scot-



Scotis antiquis præfuit, etiam Deirorum vicinorum populorum nuncupetur Episcopus. Constat autem ex V Vironis vita, à Surio 8. Maij descripta, ipsum cum S Plechelmo peregrinas adisse oras, ac Pipini Austrasiæ Ducis tempore adhuc vixisse.

Responso  
ab obiectio  
nes ex dif-  
crepancia  
temporis.

Nec obstat.  
si diuersi Hi-  
storici non  
nihil discre-  
pent.

Si S. V. Villi-  
baldo 30.  
annis pro-  
uectior, aut  
bis ex An-  
glicia venerit  
non obest  
histo.

Differētia  
Leuini &  
Leuini.

Desidera-  
tur adhuc  
versum au-  
thographi-  
um S. Mar-  
cellini.

Quæ præterea à tempore inducitur discrepantia, non ea est, quæ B. Marcellini infringat auctoritatem. Nam licet à Serrarij calculo notat. 54. in vit. S. Bonifacij, triennium intercedat, tamen illud ex ætate diuersitate numerari potest.

Quod verò Venerabilis Beda in sociorum consortione, qui primi, aut deinceps S Svibertum comitati fuerint, à B. Marcellino non nihil differat, mirum id nemini videbitur, cum etiam hoc tempore, quæ contigerunt, variè à varijs referantur; ita Venerabili Bedæ, qui auditione tantum S. Sviberti iter acceperat, illud alio modo ac reuera fuerat institutum, potuit ab alijs fuisse recensitum. Fateor ex Marcellini auctoritate V Vunibaldo & V Villibaldo duobus B. Sviberti collegis adijciendos triginta ætatis annos, ac B. V Villibaldo repetitum è patria iter esse concedendum, cum vita S. V Villibaldi vigesimo secundo capite tradat, à sanctis Bonifacio & V Vunibaldo cæterisque V Villibaldum ex peregrinatione reducem, SALVVM RECEPTVM esse, alioquin EXCEPTVM commodius dixisset.

Denique quod affertur B. Leuinum Adelberti Leuitæ commilitonem ex duodenario B Sviberti comitatu Synodo Ultraiectinæ anno 697. coactæ interfuisse, cum tamen S. Leuinus iam anno 633. sanguinem suum pro Christiana religione fuderit. Aduertendum est, alium fuisse Leuinum & alium Lebuinum, etsi vtriusque ferias Martyrologia ad 12. Nouembris diem celebrent. Leuinus quippe Archiepiscopus & Martyr Gandavi requiescit. Noster verò Lebuinus Presbyter & Confessor tempore posterior, Dauentriæ tumultatus, atque editiore dein loco à S. Ludgero Monasteriensium in V Vestphalia Protoepiscopo honoratus quiescit.

Est & alius Leuinus martyrij adorea coronatus, sed multis sæculis post circa anqum 1345. è Diui Francisci Fratrum Minorum Familia, de quo Molanus in Appendice.

Hinc vtrumque existimo, contraria argumenta esse debilitata, quamuis si ipsum B. Marcellini prototypon atque exemplar, quod Dodechemi asseruatur, aut aliunde publici amantium studio aliquando in lucem proferendum spero, mihi videre licuisset, omnino confiderem, validis me brachijs contorta omnia tela retorsum, quod



quod peregrina & suspecta quædã nomina fortè abessent, atq; si R. P. Gretzerus summi Iudicij Theologus vidisset diploma ex Archivio S. Sviviberti à me de historiarum illius vetustate productum nunquam eam oppugnasset. Et merito, nam esto, quod aliquis vno alterove sæcula posterior, recentiora quarundam regionum & urbium vocabula claritatis causa, vel etiam ex imperitia insperferit, an ideo historia tanquam spuria erit reiicienda.

## DE WERDA AC SANCTO SWIBERTO, DIS- QUISITIO ET IUDICIUM ÆGIDII GELENII Lic.

**Q**UAM Cranzius lib. primo metro. cap. 21. de queritur in Verden-  
storia natam esse rerum confusionem, hanc in eiusdem Ecclesiæ ca-  
pite Swiberto vel maxime licet advertere. Quot enim Autores to-  
tidem ferè de illo errores prodire, quos facile discussero, si solum lo-  
corum, temporum ac personarum fecero distinctionem. Werda itaq; trans  
Rhenum tres constituo, duos vero Swibertos ætate diversos Episcopos

Werda primæ nomen quod Teutonibus insulam significat, &  
etiam nunc repræsentat, tribuitur ei, quæ in Rheno sita litore, nunc In-  
sula Cæsaris à Friderico I Imperatore dicitur, olim S. Swiberti Insula  
à primo eius nominis Westphaliæ Saxoniarque inferioris Apostolo  
appellata. Hæc Rheno alluitur illiusque brachio cincta inexpu-  
gnabilem loci naturam, in inferiori diocesi Colonienſi, arcem  
atque oppidum insigni Canonicorum Collegio (olim Monasterio)  
clarum, ac diues Reliquijs Sanctorum Swiberti & Willeici exhibet.

Altera S. Ludgeri Monasteriensis Episcopi Werda siue Werthi-  
nia est diocesis item Colonienſis, insula ad Ruram fluvium comple-  
ctens firmissimum oppidum & Imperiale Monasterium Ordinis S. Benedicti.

Tertia Verda, olim *Fardium ad Aleram fluvium in pago Sturini* an-  
no 786 præsentibus Lullo Moguntino, Hildebald Colon. Camalhar-  
io Treuerensi Archiepiscopo Episcopali à Carolo M. decorata sede,  
ut habet ipsum Caroli M. diploma apud D. Kleinsorg; (unde erroris  
conuincitur Albertus Cranzius, quod prius scribat sedem Ver-  
densem Episcopalem in Konende à Carolo Magno constitutam, ac  
deinde Verdam fuisse translata) qui autem in diplomate Caroli M.

I.  
Insula S.  
Sviviberti  
hodie Cæ-  
saris-Insu-  
la ad Rhe-  
num.

II.  
Insula S.  
Ludgeri  
Vverda ad  
Ruram.

III.  
VVerda E-  
piscopalit  
ad Aleram



quod authenticū extat, testis laudatur Chamclarius, sitne Ricodus Macarius, ad quē binas dedit B. Alcuinus Caroli M. Magister, an verò Amalarius Fortunatus, beneuolo Lectori relinquo discutiendum, quod si posterior in diplomate sit descriptus, Scriptores haecenus grauiissimi erroris coarguentur. Præpositus verò fuit Verdensibus S. Swibertus, ita tamen ut Moguntinum agnosceret Archi-præsulem. Ex quibus luce meridiana clarius euadit, S. Swibertum Antistitem Ferdensem à S. Swiberto Cæsaris-Insulano esse diuersissimum.

Primus  
Svibertus  
Apostolus  
Rheni ac  
vicinarum  
ditionum.

Prior quippe S. Svibertus natione Anglus Rheni ac ditionum trans Rhenanarum Frisonum item & Saxonum Apostolus, Monasterij quondam (nunc Collegij Cæsaris Insulani) primus fundator & incertæ sedis Episcopus, vnus fuit ex talibus Suffraganeis quos Hincmarus in epistola meminit nulli fuisse certæ sedi illigatos, cuius res gestas B. Marcellinus & miracula S. Ludgerus conscripserunt. Videlicet quod ann. 647. natus sit, & septuagenarius circa an. Dñi 717. alias 715. ex hac vita demigrarit Post obitum vero Pipino Caroli M. parenti sub annum septingentesimum quinquagesimum tertium, in prælio patrocinnatus fuerit, & anno deinde septingentesimo quinquagesimo quinto, ab Hildegero Colonienfi Archiepiscopo iussu Stephani Papæ, è tumulo eleuatus, demique anno octingentesimo tertio, præsentate Carolo Magno plurimisq; Cardinalibus & Archiepiscopis à Leone III. Papa in Sanctorum Catalogum solemniter sit recensitus.

\*sexto.

Secundus  
Svibertus  
Apostolus  
Vestphaliae  
Episcopus  
Verdensis

Posterior vero Svibertus primus Verdensium aut Ferdensium ad Aleram fluium in Saxonia circa Annum 786. qui fuit 68. ab obitu prioris S. Sviberti, Episcopus est constitutus, atque hunc B. Bonifacij tradunt fuisse discipulum, cum ille prior Bonifacij fuerit magister sine Collega. Fuit hic genere quoque Anglus, ac vita Angelicus, professione monachus & Abbas, atq; Anno Christi 786. regni Caroli decimo nono, Verdensem Cathedram obtinuit, eodemq; anno ab Adriano Papa pontificatus sui anno decimo confirmatus est: *Celebrem (inquit de eodē Crantzio metrop. li. i. c. 6.) seruant prouinciales memoria magni itineris quod pro Christo, & eius Religione vno illum sole memorant peregisse.*

Verba ex Catalogo  
Vestphaliae  
Episcopi

Factus deinceps gregi suo vitæ exemplar integerrimum, tanquam frofa plantata super riuos aquarum, fructum gloriosum & copiosum pecit: donec suadente diabolo à subditis rebellantibus Episcopatu hulsus Anno 807. spiritum Deo reddidit. Sedit annos 21. successorem habuit B. Pattonem Scotum ex Abbate Amarbaricensi.

Vnde iam varij deteguntur errores. Primus eorum qui Werdam

ad



ad Rhenum seu Insulam S. Sviverti vel Cæsaris, confundunt cum Werthinia vel V Verda S. Ludgeri in Rura fluvio siue Imperiali Monasterio Werdensi, tum qui primam Cæsaris Werdam pro Verda Episcopali, vel Ferda & Fardio ad Aleram fluvium in Saxonie accipiunt.

Deinde illorum patet hallucinatio qui Svivertos non discernunt, cum constet plures olim fuisse celebres Svivertos. Nam & Hildebaldi Archiepiscopi (cuius memini in *Hierotheca mea*, & in *Colonia supplice* nuper edita) Colonienfis ex Illustri sorore nepos Gozellinus de Grimbergen / & Haragerus de Cosueldia idem nomen à primo Sviverto in memoriam beneficiorum ab ipso obtentorum mutuati sunt. Canisius etiam ad diem 29. Maij meminit B. Sviverti Episcopi & Martyris Hechelmix quiescentis. In hac autem nostrâ disquisitione de duobus tantum agimus, quorum alter suffraganeus nullius certæ sedis anno 717. æra maiore, nostra autem 715. sub Pipino obiit; alter verò 68. annis posterior sub Carolo Magno certum in inferiori Saxonia obtinuit locum Episcopalem.

Tertio patet errare Crantzius dum posteriorem Svivertum solum agnoscit quem Baronius dissimulat priorem Svivertum V Verdensem Episcopum appellans, cum tamen prioris sedes & monasterium ad Rhenum, cathedræ dignitatem & successionem nunquam obtinuerit; nisi fortè ut antiquitatis prærogativam Verdensibus Episcopis attribuas, velis dicere ad ipsos prioris Sviverti sedem esse translata, atque ita Osnabrugenses spoliare coneris protho-episcopatus in Saxonia honore. Professores Laurentiani apud Colonienfes Gymnasij in præfatione vitæ prioris S. Sviverti: Verdensis eum quondam Ecclesiæ eiusdemque diocesis quæ in Saxonia est Episcopum asserunt, prout etiam in prologo Vitæ S. Ludgeri scribunt superiori sæculo Monachi V Verthinenses. Hos fortè Baronius, alijq; sequuntur. Arnoldus V Vion autem in notationibus ad martyrologium Benedictionum planè errat in citatione Crantzij, dum illum in metrop. lib. 1 c. 6 de primo S Sviverto credit loqui, cum expressè de secundo loquatur, primum ignoret. Hos sequi videtur D. Cornel. Schultingius in commentario Ecclesiastico, qui utriusque Sviverti ætatem & acta in vnum & eundem confundit; asserit quidem auctoritatem Bedæ *Lib. 5. hist. Ang. cap. 12.* sed Beda illic de primo Sviverto loquitur, & in rebus Anglicanis tradendis ultra annum 766. non peruenit.



RELECTIONES.

§. *Vita & Anales S. Pletrudis & pag. 1.*

Ita do hoc integre, vt ante me nemo integrius ea ediderit, integrius tamen edi posse credam, & eorum modo aliquid ad maiorem integritatem ipse aduicio ex posterioribus cogitationibus.

§. *Absurdissimi errore Scribitur Leonis III. Pontif. Max. Soror. pag. 2.*

Disti Ratio istic data est perspicua; Sed quia scio duos hoc nomine pontifices: Leonem II. seu Iunioem, & Leonem quendam III. (quem Card. Baronius pretermisit, forte quia intrusus, Martinus autem Polonus & alius de Pontificibus vetus MS. Herenbergensis apud Embricam in catalogo exhibent) B. Pletrudi coeui; seu Synchronos fuisse, idcirco monendam putavi, ne huius quidem III. Leonis sororem fuisse, quoniam is Nicolai Diaconi Filius & quidem Romanus fuisse traditur ab eo dem Martino.

§. *Grimoaldus martyrio occubuit pag. 2.*

Dixi hoc secutus bonos authores inter quos est Raderus in Bauaria Sancta & ibi Hadrianus Barlandus.

§. *Pro Childerico Rege Francorum &c. pag. 2.*

Vt in saeculis Franciarum rerum minus erret, velim notari quod Franci ante Galieni & Valeriani tempora fuerint populus transrhenanus è regione Coloniae, Nouesii, Asciburgii, veterum &c. docet id Tabula Itineraria Peutingeri apud Bertii & multae Historiae Romanae. Ex ijs locis sepe incurrendo in ptouincias Romanas, vsque ad Arcadij & Honorij tempora, tandem cum caeteris barbaris Alemannis, Burgundionibus, Vandalis, Alanis, Gothis, aliquam partem Germaniae II. seu inferioris inter Rhenum ac Scaldem mox Belgicae II. inter Scaldem & Sequanam occuparunt. ac reliquos in Gallia barbaros subiinde vincendo oppresserunt, duce Clodoueo magno, vt Alemannos apud Tolbiacum in agro Coloniensis diocesis, alios alibi.

Sed cum Clodoueus Magnus filios haberet 4. quadrifariam diuisit eis Galliam, vnde varia regna oborta sunt, idem fecerunt sequentes Reges qui pluriu liberorum patres erant; donec sub Lothario annosissimo Rege A. 612. tractus terrarum Rheno, Maritimo, Britannico, pyrenaeis & Alpibus clausus, in Austrasia, seu Lotharingia & Neustria seu Francia proprie dicta diuisus fuit, dato Austrijs Rege Ingaberto, & paulo post Neustrijs Chariberto altero filiorum. Haec diuisio ad posterios perseverauit constantissime, eo quod non solum voluntati diuidentis, sed linguae discrimini & Naturae locorum, ac populi genio inuiteretur siquidem Austrasij Germanica, Franci semelatina iam utebantur. Et Austrasia quidem tunc Alsatia, Palatinatum cum Episcopatibus Vorm. Spir. & Mogunt. Treuirensi, Coloniensi, Leo liensi, Lotharingia moderna Etisia, Brabantia Cluua ac Geldria compledebatur. Francia reliqua in Galliae. Haec ad Francicas Historias qualis est praesens erant omnino annotanda.

pag. 10. *Hec addenda. post. S. Begge mortem.*

Ex his conijcere licet prudenti rerum aestimatori quam grauis tempestas B. Pletrudis animum perculerit, quanta tenebrae inuoluerint piam animam, Constitit tamen illa sub cruce nec animo fracta est, sed magis solidata est in Christo, vero omnis solacii authore, qui etiam breui tempestate illam ipsi depulit. nam & vindicem quendam, ex iustis aulae Pipini constituit, videlicet S. Hubertum, Romae, eodem die quo S. Lambertus est peremptus & Deus ipse, authores fautoresque iniuriae B. Pletrudi irrogatae, qui non rest. puerum intra annum male perdidit, & Pipino meliorem mentem iniecit, de quo magnus esset differendi campus, si ipsius & non Pletrudis negotium agerem, quanquam & hoc quodam modo ipsius Pletrudis potest dici, cuius & causa & meritis suscepta est à Pipino penitentia. Breui igitur eam accipe compendio ex P. Ioanne Roberti Andainensi. *Pipinus*

vbi



¶ i primum certo nuntio accepit cognatum suum Hubertum Lamberto successisse splendido cinctus comita-  
 su salutandi & gratulandi causa ad eum Traiectum venit. Hubertus sacerdotalis authoritatis & grauita-  
 tis memor, diuini honoris zelo ardens negat sibi quicquam cum illo aut esse aut fore commune prius quam  
 ad mentem redeat, Plestrudem uxorem recipiat, Alpaidem pellicem eiiciat, deinceps addit se ei ecclesie  
 communi interdicturum nisi respiciat, idque palam orbi facturum. Pipinum Deo cor eius tangente se ali-  
 quando peccatumque suum respiciens, iurat se in Huberti futurum potestate. At primum omnium missis pro-  
 pere literis ac nuntiis uxorem reuocat eamque deinceps loco habet quo coniugij iura iubebant. Tum ut Deo  
 suisque subditis scandalum passus quadamtenus fatiatur sibi vicino loco ORPEN dicebant ecclesiam ex-  
 struit honori Virginis Deiparæ sanctique Martini. Alpaidem peccati in veteratâ obduratam que Huber-  
 tu anathemate percussit mox recte sapientem Besiliensi ecclesie includit, lacrymis ac pœni spontaneis pec-  
 cata expiaturam. Vnde in recens extructum monasterium ORPEN transire iussa est, quo Pipinum ex Ni-  
 villensi parthenone sacras Virgines Deo & sibi victaras euocarat.

pag. 14. 15. 17. In Plestrude.

Vsus sum istic ijs numeris annorum Christi, quos apud Authores video passim teri, ma-  
 gno consensu, cum de ijs quæ ibi tracto rebus agitur, alioquin scio eos numeros esse maio-  
 res quam hodie visitata æra postulat. Siquidem si hodierno annos Christi numerandi modo  
 res tractanda foret S. Agilolphum Colonia Episc. ante annum 712. datum esse & Legatio-  
 nem S. Svibertum ad Pipinum agrotantem anno ipso 712. post pascha & S. Svibertum Ann.  
 715. defunctum esse certissimè dixissem, ira enim postulant Characteres Chronologici cõ-  
 plures ut bene aduerit R. F. Georgius Carthasie Colon. diligens rerum ad S. Svibertum com-  
 mentator in Ms. notis ad S. Svibertum.

§ Eudo fugiens Paoifios, pag. 18.

Fuit Eudo S. Huberti frater, cuius ut cum Pipino consanguinitatem possis agnoscere  
 ecce vniversam seriem cognationis in tabella.

Clotarius seu Lotharius Rex Fran- corum.	Hilderi- cus.	Boggis Dux Aqi- taniæ	Bertrādus Dux Aqi- vxor Hugberna	S Hubertus vxor. Floribana Eudo Dux Aquitaniæ	Floribertus Episc. Leod.

Pag. 24. de Alpaide adde verba pauca ex Happare Leodiensium scriptore, qui de illa  
 scribens post eius flagitium & pœnitentiam narratam ista subiungit. Sed audi parumper, quorsum  
 res deuenit, Plaudin Comes d' Osterne frater S. Lamberti, bellico tumultu inter principes Opportunitatem  
 præstante videlicet Pipino defuncto & Martello ad huc in custodia manente, Raginfredo Au-  
 strasiam populante, in orpen venit euulsamq; Alpaidem igne combussit graue sane Dei in pœnitentiam  
 licet exercitum iudicium, sed in cuius spectaculo oporteat salutari timore terreri, & di-  
 cere *Hic vte, hic seca, ut in aternū parcas.* aut cum Mauritio Imp, similiter patiente, *Infine*  
*Domine & Rectum iudicium tuum quia nihil coinquinatum intrabit*  
*in Regnum Cælorum.*

FINIS.



ADMODVM REVERENDO, ET  
DOCTISSIMO, RERVMQVE VSV  
& antiquitatum Peritissimo Viro & Domino

ÆGIDIO GELENIO DE  
KEMPIS,

SS. THEOLOGIÆ L. TO AD S. ANDREAM  
Canonico meritissimo, S. R. E. Proton. Apostolico & c.  
Patrono & Mecænati suo plurimum  
obseruando.

**V**IVIT Agrippina Lux Engelbertus, & integro  
Ora peritorum fama perennis orat.  
Supplex eternum viuitq; Colonia, & vltra:  
Toti qua mundo sydera sacra refert.  
Clarâq; de Boio Pletrudis sanguine viuit,  
Fortiter immeritam Dux pia passa fugam.  
Caelestes anime, digna immortalibus annis  
Et quas perpetuo nomine fama beer.  
Tu fama Vindex tu laudum praeo Geleni  
Restituis luci nomina clara sua.  
Quodq; fugax tempus, quod edax abolere vetustas  
posset, tu calamo posse perire vetas.  
Perge agedum, tenebrisq; vbius tandem exime fastos,  
Namq; alijs lucem quam dabis, ipse feres.

OFFERT DEDICATQVE

PETRVS VINCK COLONIEN.  
Art. Lib. Mag. & Vic. Illust. Eccl. S. Gereonis.

ERRATA.

- Fol. 9. Linea 9. Roldus lege Rioldus  
Fol. 10. linea 4. in margine 698, lege 696. prior enim Chronologia Patris  
Aegidij Bucherij est à nostra æra diuersa.  
Ibidem lin. 11. à fine pro Gemblacensis lege Gemblacensem  
Ibidem linea 15. a fine sequenti vero adde tempore  
Fol. 15. linea 22 vel, expungatur linea 23. post verius addatur quam  
Fol. 23. linea 18. Faxit adde in. In clypeo Syvibertino Fol. 7. lin. 11, elu-  
ant lege Elquant,



























GELENI

B. Pachera

et

par. 885

suibertus

ac plethoridis

KIV

Th  
2304